

senior, ac propterea ex parte Benedicti possessoris desuper pro veritate consultus sui.

Respondi itaque, quod presupposita ista facti serie, quoties non adessent alie alternative facti circumstantie, casus haberet de indubitabili ad ejus favorem, etiam absque necessitate assumendi magis odibilem inspectionem omnimoda exclusionis, & incapacitatis dicti Gerardi ex iudicio Testatoris, sed solum ratione ordinis succedendi in hoc fideicommissio, quod licet habeat speciem beneficij, seu Cappellanie nihilominus vere est fideicommissum indifferens, quod jure fideicommissariae successione est regulandum cum sola alteratione, ut exigit istam qualitatem Clericalem, & Sacerdotalem, juxta casum, de quo apud Celsi. decis. 159. & Ottob. decis. 270. & habetur hoc titul. disc. 8. ac etiam pluries sub tit. de Jurepatr. praesertim disc. 20. occasione agendi de Commendis aliquorum ordinum militarium, quoniam ut advertitur pluries sub tit. de Benefic. & sub altero de Jurepatr. non diuntur vera beneficia Ecclesiastica cum regulis beneficiorum metienda, nisi illa, quae cum Ordinarij auctoritate, de qua constat, vel praesumpta, creata fuerint, alia vero quae imaginem, vel speciem beneficiorum, & Cappellaniarum habent, sunt potius legata, & fideicommissa pia.

Cum enim hodie extra controversiam receptum sit pro regula limitanda ex diversa Testatoris voluntate, ut ordo succedendi in fideicommissis regulari debeat a persona gravati ultimo defuncti, cujus non autem Testatoris attendatur proximitas, dummodo ista connectat etiam cum Testatore, ex deductis supra disc. 23. & in aliis pluries, adeo ut inanem laborem, inanemque chartarum repletionem contempnam dignam redolent auctoritatum cumuli, & discursus, qui per Modernos desuper haberi solent super quaestione apud antiquos quidem involuta, hodie vero nimium plana, an attendi debeat proximitas gravati, vel gravantis; Hinc proinde planum dicebam esse jus possessoris.

Clarius vero ob facultatem, quam Testator dedit ultimo possessori nominandi successorem, non quidem ut ista de per se considerabilis esset, dum non aderat, sed ad effectum, ut facilius persona istius consideranda esset pro regulatione proximitatis.

Propterea, cum Actor de tempore testamenti esset jam in rerum natura, quinimo Sacerdos, atque Testatori cognitus, & tamen ab eo neglectus fuerit, ita dicebam clara respicere voluntatem, quod illum nullatenus vocare voluerit, vel quia non esset sibi gratus, vel quia crederet illum jam privatum, cum omnino improbabile est, quod eo neglecto, vocare voluerit nacturum sibi ignotum, in quo oportebat expectare ad minus annos viginti quinque, ut ad Sacerdotium perveniret, atque postea vocare alios nascituros, ac propterea licet regula sit, quod non consisto de delicto, & demerita personalis, exclusio ab una dispositione particulari non excludat ab altera generica, juxta superius deducta disc. 49. & in aliis; Attamen id procedit quando dispositio particularis aliam habeat erga vocatos peculiarem rationem praedilectionis, ex qua potius quam ex odio, & aversione illius, est exclusus, vel neglectus fuerit, id proveniat; Secus autem quando ista ratio non intrat quia dispositio non sit particularis, sed generica ad favorem omnium procreandorum de familia contentiva, ideoque sit verificabile etiam in remotissimis, erga quos utpotè non natos, atque omnino incertos nulla dilectionis ratio, vel consideratio cadere potest, cum tunc clara videatur voluntas, cujus potius quam juris ista est quaestio habendi personam jam existentem, & cognitam pro annihilata, & non existente in rerum natura, (tanquam per speciem exclusionis pro regula) Atque magnificendam quoque fore adverbium diuturnam observantiam, & acquiescentiam, cum ista dicatur in omnibus actibus optima interpret, juxta saepius insinuata, ideoque concludebam, quod praetensio chimericae speciem redoleret.

LUCANA FIDEICOMMISSI.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An furiosi, vel amentes succedant in fideicommissis, vel primogenituris agnatis, & ordinatis pro decore, & conservatione agnationis.

SUMMARIUM.

1 Falsi series.

2 Unde originata sit quaestio.

3 De differentia inter primogenituras, & fideicommissa ordinaria.

4 Quare in fideicommissis dividuis defectus mentis non obstat.

5 De simili Religiosorum.

6 Quid in Regnis, & Principatibus.

7 De distinctione inter Primogenituras qualificatas, & non qualificatas.

8 De aliquibus differentiis inter Primogenituras, & fideicommissa ordinaria.

D I S C. CCLX.

Suppressis nominibus, & circumstantiis casus particularis, consultus sui in genere, sive in abstracto, an furiosus, vel amens habilis esset ad succedendum in fideicommissio, vel primogenio, seu majoratu agnatio, & ordinato pro decore, & conservatione agnationis, & familiae.

Respondi, quod male conceptum esset quaesitum, ita generaliter confundendo Primogenia, & Majoratus cum simplicibus, & ordinariis fideicommissis, ob notabilem differentiam rationem inter unam speciem, & alteram; Ita siquidem quaestio juri communi ignota, originem habuit occasione successione, vel respectu retentionis Regnorum, & Principatum, quorum ad instar peragi cepti in feudis individuis dignitatis, quae Regnorum, ac Principatum jure regulantur, deindeque ex rationis identitate in primogeniis, & majoratibus individuis personarum pluralitatem non admittentibus, eadem liborta est quaestio, ex eo quod ubi ille unus, qui debet esse administrator, ex defectu mentis est inhabilis, ita dicitur illud patrimonium vacare, & carere administratore, quod regulatur non intrat in simplicibus, & ordinariis fideicommissis plurium possessorum simultaneum concursum admittentibus, quoniam si unus non est mentis compos, adfuit alii, qui supplere possunt, ad instar eorum, quae habemus circa privilegium electionis, & variationis fori concessum miserabilibus personis, quoniam intelligitur in causis, quae singulis jure competant, non autem collegiatis, vel communitatis, cum similibus; Ac etiam quia de jure communi haec successio fideicommissaria regulari juxta ordinem successione intelligitur, quoties contraria testatoris voluntas non obstat, ut pluries hoc tit. advertitur, ideoque cum furiosi, & amentes a successione ab intestato non sint exclusi, ita quoque dicitur etiam eos non esse exclusos ab hac fideicommissis, ac propterea observandum esse adverbium, quod Doctores istam quaestionem pertractantes, de quibus infra, apud quos alii recensentur, ad hanc speciem non descendunt, sed agunt de feudis, primogeniis, ac majoratibus.

Et quamvis ubi agatur de fideicommissis agnatis ordinatis pro decore, de nobilitate familiae, videatur, quod quodammodo repugnet verisimilibus voluntas disponentis, tanquam ex cessante causa, vel sine, ob quem ita dispositum sit, quoties praesertim det casus, quod ille amens esset solus successor; Non tamen ista videtur sufficiens ratio, quoniam si ita esset, sequeretur, quod ille, qui ex genio esset vagabundus, vel alius in patria, seu loco bonorum non resideret, vel ille, qui ex continua infirmitate in lecto degeret, adeo ut nullam faceret decorosam figuram, non deberet esse fideicommissi capax, cum similibus considerationibus; Et fortius Religiosus professus in Monasterio, vel Religione capax in communi deberet esse hujusmodi fideicommissi agnatis incapax, quoniam licet ex fictione legis professio in Religione non tollat agnatiivam qualitatem, aliaque jura naturae, ideoque non refragantur expressa, vel efficaciter conjecturata testatoris voluntate, succedat in fideicommissis, & primogeniis etiam agnatis, ex deductis supra disc. 63. cum segg. Attamen, ut ibidem advertitur, inspecta veritate naturali, & de facto, nullam sciunt figuram in saeculo pro conservatione agnationis, epulque decoris, & nobilitatis, atque bona esse dicuntur penes Monasterium, seu Religionem, adeo ut ille, ex cujus persona successio delata si non immutet, nec habitum, nec vicium, nec alia tractamenta.

Restricta itaque difficultate ad majoratus, & primogenituras, atque presupposita distinctione, cum qua in Regnis, & Principatibus, ac etiam feudis in dividuis, praesertim dignitatis, procedi solet ad novae successione executionem, & assequute retentionem, ut priori casu ista defectus inhabiliter, secus autem in altero, in quo quaestio intrat circa administrationem, & tunc tamen, an esse debeat penes administratores unum, vel plures deputandos ab ipsa Republica, vel respectu à Domino directo, vel potius esse debeat penes proximiores capaces, cui in casu mortis naturalis demeritis successio debita esset, & super quo certa regula gene-

generalis, ac uniformis statui non posse videtur, cum de ferendum sit legibus, & stylis particularibus, diversam quoque observantiam habentibus, juxta rerum contingentias, praesertim in Regnis, & Principatibus absolutis, quorum regulariter est illa lex, quae insinuat disc. 146. de Dote, n. 16. ex his, quae aliis relatis in materia habentur apud Molin. de Primogen. lib. 1. cap. 13. Urfin. de feud. part. 1. quasi. 8. art. 2. late Theaur. lib. 2. qu. 62. cum aliis occasione agendi de muto, & iurdo in decis. Sicil. post disc. 103. de feud. & in casu, de quo disc. 13. eod. tit. num. 356. & segg.

In primogeniis, & majoratibus, verior videtur distinctio apud Molin. & Theaur. ubi supra, qui referunt Tirac. Gom. & alios, & de qua distinctio pluries in praecedentibus, & praesertim disc. 7. inter primogenituras qualificatas consistentes in Civitatibus, Oppidis, & Castris cum jurisdictione, & Imperio, adeo ut annexam habeant administrationem Vassallorum, & Justitiae, ut contingit frequentius in Hispania, & in Gallia, aliisque Regionibus ultra montes, in quibus non habetur usus feudorum, quorum loco hujusmodi majoratus, & primogenia succedunt; ac etiam in aliquibus Principatibus Italiae, praesertim in Statu Ecclesiastico, quod plerumque Oppida, Castra, & loca cum jurisdictione, & imperio in vassallos in specie, & figuram feudorum obtinentur, non jure veri, & proprii feudi, sed potius jure allodii, five curiam mixti, quod participat de utraque qualitate, ut pluries in sua sede advertitur disc. de feud. Et illos majoratus, & primogenituras non qualificatas, quae ex privata dispositione consistunt in bonis privatis, & indifferenter, ut (sicut prior casu ob rationis identitatem procedat idem, quod habetur in Principatibus, & feudis individuis; Secus autem in altero, in quo procedendum sit cum regulis generalibus fideicommissorum simplicium, & indifferenter, ut supra, cum cesset ratio, quae in dicta alia specie cadit; Ac etiam quia, ut advertitur eod. disc. 7. & in aliis pluries, in effectu hujusmodi majoratus, & primogenituras non redolent nisi fideicommissum simplex, & restitutorium in aliquo alteratum, quod scilicet non admittit in eorum successione, & possessione simultaneum concursum plurium personarum, ac divisionem, sed dicuntur fideicommissi individui, & singularia, quae non nisi ab uno obtineri, & possideri possunt ad similitudinem Principatum, & feudorum dignitatis in hac parte tantum, non autem in aliis partibus, & effectibus, in quibus ab aliis fideicommissis in nihil differre videntur, nisi quatenus lex particularis regionis, aut voluntas disponentis aliud suadet, solumque considerabilis videtur differentia circa praxim saepius insinuatam vulgaris regulae de sumptu ex text. in leg. cum a matre, Cod. de rei vendic. super obligatione successoris habendi ratum factum ejus, cuius sit haeres, in alienationibus, aliisque dispositionibus, quasi quod qualitas individua primogeniturae, vel majoratus generaliter producat illam limitationem, de qua pluries hoc tit. praesertim disc. 128. & 129. quando constat de enixa voluntate disponentis conservandi illa bona penes unam personam, quae ita magis decorosam figuram faciat. Quomodo etenim aliqui non improbabiler aliam constituunt differentiam ad effectum auct. res. que; Attamen praesertim in Rota, & Curia Romana illa non est accepta ex his, quae habentur disc. 143. de Dote, num. 6. ubi de rationibus, & fundamentis hanc differentiam comprobantibus.

CAMERINEN. FIDEICOMMISSI

P R O

FAUSTO, ET ALIIS DE PASSERIS,

C U M

N.

Casus disputatus coram A.C. incertus est exitus.

De duplici conditione adjecta in aliqua substitutione, an & quando debeat utraque purificari, ad eandem materiam, de qua supra disc. 120. & in aliis.

SUMMARIUM.

1 Falsi series.

2 Quod ex duabus conditionibus sufficiat unam verificari, vel respective deficere.

3 Qualis esset difficultas considerabilis casus.

Card. de Luca, Lib. X.

4 Declaratur conclusio, de qua num. 2. quomodo, & quando procedat.

5 Dispositio codicillaris declaranda, vel supplenda est ex testamentaria.

6 De supplementatione ejus, quod verisimiliter solutum sit, sed omisum.

7 Attendit debet principaliter substantia verisimilis voluntatis, non autem figuraverborum.

8 Quando debeat inspicere scripturae, vel testes per extensum, atque non suscipiendum summarium.

D I S C. CCLXI.

Imponendo pater cum filiis in testamento masculos tantum haeres instituit, strictissimum, perpetuum, ac successivum fideicommissum in eorum posteritate ordinando, cum efferata prohibitione alienationis, & detractio, etiam legitime enixi explicato desiderio integrae conservationis bonorum; Filiabus autem natis, & nacturis, dotem constituit, ita tamen, quod eis decedentibus absque prole, illa reverteretur ad haereditatem, ad quam post plures substitutionum gradus, omnibus defectis vocavit Ecclesiam. In Codicillis autem postmodum ordinatis, profuturo illos facere pro aliquibus declarationibus, & moderationibus, in reliquis autem approbare, & confirmare testamentum; inter alias dispositiones aliquam fecit moderationem dotium filiarum, ac declarationem circa imputationem dotium maternarum earundem, repetendo dictam substitutionem in verbis, cum duplici conditione pro alternativam, nempe in eventum, in quem non maritarentur, vel quod morerentur simpliciter, non explicando, an cum filiis, vel sine, & cum illis praesertim verbis Italici idiomatis - Che non maritandoli, o morissero, &c.

Cum itaque factus esset casus mortis unius nuptae filii, instituto haerede viro, atque contra litum, Passeri vocati ad dictum fideicommissum, iudicium insisterent pro restitutione dotis; de duobus reus conventus exiebat; Primò, nempe de libertate ejusdem dotis, utpotè decedentis in locum legitime, quae non recipit onus ad vulgatum text. in leg. quomam in prioribus; Et secundo, quod non esset factus casus fideicommissi, utpotè concepti sub duplici conditione alternative, non nuptiarum scilicet, vel mortis; quodque propterea succederet verificatio unius; illa nempe nuptiarum; ad regulam text. in l. generaliter, C. de Institur. & substitur. de qua supra disc. 120. num. 2. & 3. & in Melevitana disc. 248. & alibi; cum dubitandi ratio cadat, quando duplex conditio adjecta sit per copulativam; factus autem quando pro alternativam, quoties ex aliis argumentis de diversa disponentis voluntate non constat.

Incertum est qualis fuerit controversia exitus, de quo scribens pro fideicommissariis actoribus, timebam ex primo motivo legitime, cum in hac dispositione particulari contineretur dorem congruam; ad quam pater tenebatur non excedentem legitimam, stante imputatione dotium maternarum, non esset verificabilis cautela Soccini adhibita cum filiis masculis institutis in universa haereditate; Ac propterea ex hac parte constituebatur fundamentum in quadam obligatione facta per eundem virum in instrumento dotali, quod uxor illi doti ad formam testamenti paterni acquiescere deberet, quod diversam habeat inspectionem, neque multum discursum fuit; eo quia tam Scribentes pro reo convento, quam Iudex principaliter insisterent in dicto alio motivo non existentiae fideicommissi, ob defectum unius ex duabus conditionibus.

Quatenus itaque ad hunc punctum pertinet, dicebam, quod nunc dispositio d. text. in l. generaliter intraret, quando in unica dispositione testamentaria, vel codicillari, haec duplex conditio adjecta esset; Secus autem in hac facti specie, quod in testamento disponendo, ut tam filii masculi, quam feminae decedentes absque filiis, nullam detractionem facere possent, neque haereditatem in aliquo imminuere, ut integra conservaretur in fideicommissio perpetuo pro ipsum ordinato, adeo ut attempta hac dispositione testamentaria, etiam ubi filia nupta decederet sine filiis (legitime privilegio seclato) certa esset substitutio; Altera vero dispositio codicillaris facta non fuerat pro correctione alterius testamentariae, quam potius testator approbare, & confirmare in reliquis professus est, sed solum ad effectum immutandi taxam, vel summam, ac melius declarandi imputationem dotium maternarum; Et per consequens dicebam, quod adjectio dictarum conditionum fuisset solum pro repetitione ejus, quod jam ad favorem fideicommissariae haereditatis dispositum fuerat, & pro majori firmitate, & appro-

approbatione substitutionis, ob enixam voluntatem, ut bona hereditaria non parenter diminutionem ad commodum heredum extraneorum, sed solum filiorum, qui ex ipsius filiabus essent superfluites, istaque videbatur substantia voluntatis, quamvis in cortice, seu figura verborum non bene expressa esset: Ac propterea ista verba Codicillorum interpretatiorem, vel suppletionem recipere debebant à præcedenti dispositione testamentaria, procedendo cum vera regula, attendendimagis substantiam voluntatis, quam corticem, & figuram verborum, ex his, quæ de interpretatione, vel suppletionem dispositionis codicillarum faciendæ ex testamentaria habentur apud Mantica de *concl. lib. 6. tit. 4. n. 8. Alt. jun. contr. 42. n. 25. & 26. & contr. 45. n. 15. ubi concordant.*

Ponderando potissimè, quod secunda conditio post nuptias alternativè posita, respiciebat mortem in genere abque distinctione cum filiis, vel sine; ac propterea quando cum sola figura verborum procedendum esset, etiam si dictæ filie obissent. Innuptæ, diceretur defecta conditio mortis, & tamen istud assumptum proflus fabulosum censendum esset, dum illa nunquam daretur casus substitutionis, quæ omnino fatua remaneret, dum mortis conditio necessariò est extitura; ideoque dicebatur, quod intraret illa suppletio, de qua supra *disc. 115.* faciliùs in hac facti specie admittenda, cum difficultas, de qua *ead. disc. 115.* percutiat eam, in quo agatur de una eademque substitutione, ut ibi; Secus autem ubi illa dispositio, quæ suppletionem indiget, illam non expectat à lege tantum, sed eam habet ab eodem homine in alia antecedenti, vel subsequenti eius dispositione, ita ut præmissum esset, procedendo cum dicta regula, quæ revera est facta anchora, vel verum lumen huius materie ambiguae voluntatis defunctorum: Immo rudi scilicet principaliter, & omnino in substantia verisimili voluntatis, potius, quam in figura, vel grammaticali significatione verborum, aut in regilla, & propositionibus generalibus, in quibus nihilimò frequenter experimur fallaciam, non quidem circa eorum veritatem in genere, vel in abstracto, sed circa eorum applicationem, non bene reflectendo ad facti circumstantias, ex quibus regulandæ sunt huiusmodi quæstiones, quæ facti potius, quam juris esse dicuntur; ideoque testamentaria, alioque dispositiones attendi non debent singulariter, & per partes, sed in universum inspecta tota massa, quoniam una pars supplet, vel declarat aliam.

Hinc sequitur, quod licet regulariter commendatione digni censendus veniat Curæ stylus, ut Judices, & Advocati non subjaceant improbo, ac mechanicò, & ignobili labori videndi processus, omnique scripturas, & testium depositiones, alioque acta per extensam, sed quod procedatur cum fidelibus brevibus summariis, quæ dantur per causam Patronos in partibus substantialibus; ut insinuat *disc. 46. in Relat. Curie, & alibi*; Attamen quando agitur de huiusmodi quæstionibus ambiguae voluntatis, tam defunctorum, quam etiam contrahentium, oportet, imò necesse est semper censui, quod tam Judices, quam Consules, & Defensores insipienti integra testamentaria, vel instrumenta, ex dicta ratione, quod una, vel plures alie partes, & dispositiones nihilimò deserviunt pro suppletionem, vel interpretationem ejus, de qua fit quæstio; Quod etiam in depositionibus testium, quandoque contingit, quando in eis aliqua subit suspicio, quoniam tunc integræ depositiones per extensam inspicere debent, cum ex aliquibus mendacitiis, vel variationibus etiam in levibus, & non substantialibus deveniatur in cognitionem mendacii in substantialibus, ut advertitur *disc. 32. de Judic.* Ideoque in causa, reflectendo etiam ad solam veritatem, timebam quidem de primo motivo, non autem de isto.

ROMANA NOMINATIONIS
AD PETITIONEM
MARCHIONIS RENZIE
STROZZIE.

Discursus pro veritate.

An ille, qui habet facultatem nominandi personam; quæ uxorem ducere debeat, & familiam renovare, possit nominare uxorem, qui jam habeat filios, & quomodo hæc nominatio fieri valeat.

SUMMARIUM.

1 Falli series.

- 1 Nominatio facta extra genus, vel qualitatem à testatore voluit non valet.
- 2 Quando fiat actus per quem impletur melius voluntas testatoris, non evanitur verba.
- 3 De argumentis idem comprobantibus.
- 4 De differentia interpretationis inter ultimas voluntates, & contractus.
- 5 Idem est non adesse filios, & eos deficere in pupillari etate.
- 6 De incompatibilitate plurium Primogeniturarum, quomodo intelligenda sit.

D I S C. CCLXII.

Antinus Rentius, qui ad Urbem accedens cum sola peritia abacali, cum ejus nimia industria, maximeque parsimonia, pro ea commiseranda stultitia, qua laborare solent homines miserimè vivendi, fuisse non fruendi, ut juxta dictum Sapientis, cumulum faceret ab extraneo vorandum; reliquit autem futor, quingentorum millium circiter, insitutum Scipione Gasleno ex fore propterea, inter alias dispositiones ad rem non facientes, erexit primogenituram cum effectibus ad assignatis in summa centorum viginti quinque millium in linea masculina, dummodo successores vellet ducere uxorem, atque ante annum 22. ducere, eaque defecta uxore femina proximior, quæ velit ducere virum, & sit habilis ad procreandum filios, atque in concursu plurium præferatur illa, quæ habeat filios masculos, deficiente vero etiam linea feminina, ut ultimus nominatus possit extraneum sibi vitium, volentem ducere uxorem, in cuius deficienda continetur primogenitura, omnibus vobis in iuncto onere assumendi cognomen, & insignia, omnibusque defectibus, vocavit ultimo loco Societatem S. Hieronymi Charitatis, cum onere dotationis puellarum.

Ex Scipione fuit superius Octavia unica filia in pupillari etate, quæ jam adulta, & nupta Marchioni Joanne Baptiste filio Ducis Aloysii Strozzi ratam habere nolens quandam nominationem ab ejus mortibus factam, minusque volens acquiescere cuidam præcepto dicti Scipionis, cuius hereditatem non curabat, consulit pro veritate, an in eventum, in quem proprios filios non haberet, vel haberet, atque in pupillari etate defeceret, nominare possit dictum Ducem Aloygium Socerum, ejusque descendentes, in quibus primogenitura effectum sortiri deberet.

Rationem dubitandi præbebat testatoris dispositio, ut nominari deberet persona habilis ad ducendum uxorem, quasi quod ita intellexerit de persona non uxorata, & per consequens intraret conclusio, de qua supra *disc. 33. & 37. & alibi* pluries, quod huiusmodi facultates exerceri debent intra genus volitum à testatore, & cum qualitatibus ab eo præscriptis, ideoque cum desideraverit nominari debere non uxoratum, qui postea uxorem duceret, ita videtur contraveniri ejus iudicio; Idque interesse possit substituti ob possibilitatem, quod nominatus, quamvis uxorem duceret, non tamen ob propriam, vel uxoris sterilitatem, filios procrearet.

His tamen non obstantibus, respondi casum habere de indubitabili pro valida nominatione ex eisdem rationibus, & autoritatibus, de quibus supra *disc. 45.* quod scilicet ita melius, & pinguius adimpletur voluntas testatoris, atque obtinetur finis, vel effectus ab eo desideratus, ut etiam advertitur supra *disc. 204.* atque utroque adductis *de off. punit. lib. 4. tit. 17. Dunozet. reperit. dec. 93. part. 7.* super canonizatione electionis factæ de viro maturo plures filios masculos jam habente, quamvis dispositio in verbis esset de juvene non uxorato, qui uxorem ducere deberet, ex aded frequenter, sed semper utiliter, & opportunè infinita propositio ultimam præferunt voluntatem vera regularitè, ut non formalitas, seu litera, aut grammaticalis significatio verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat; Quoniam ubi etiam non haberemus autoritates, ita clarè docet ipsa ratio, vel discursus naturalis.

Clarior verò in hac facti specie, quoniam ex aliis testamenti partibus id bene comprobari observabam, ac pariter pluries infinita propositione, quod una pars testamenti declarat, vel supplet alteram, quodque testamentaria, alioque dispositiones capi non debent per partes, sed unitim, inspecta tota massa, quoniam agendo de feminis, licet præsupponat eas esse puellas, ut quamprimum deberent virtutem ducere; Nihilominus considerando concursum plurium femininarum, concedi inter eas prælationem illi, quæ filios masculos jam haberet. Ac etiam quia in ipsismet masculis descendens ab ea linea prædilecta, & primò vocata Scipionis, præsupponit idem, quod scilicet non essent uxorati, ac pro-

propterea deberet intra certam ætatem uxorem ducere, ideoque ubi in litera procedendum esset, sequeretur magnum absurdum omni probabilitate contrarium, quod si patre vivo vivente, filius primogenitus uxorem duceret, & filios haberet, non posset succedere, sed cedere deberet loco fratri natu minori non uxorato; Quamvis etenim id dicatur in feudis utriusque Sicilia, quæ regulantur quoque cum hoc ordine primogenituræ, quod scilicet femina maritata primogenita excluditur per secundogenitam in capitulo, attamen id provenit ex lege locali, seu particulari, à qua non licet arguere, ac etiam id habet aliquam probabilem rationem consideratam *disc. 14. de feud.* ubi de hac materia.

Nullius verò ponderis, vel considerationis advertebam esse interesse substituti, cuius favore celerius casus substitutionis fieri posset, quando nominaretur non uxoratus ob incertitudinem, de qua supra, quoniam rigor verborum, ac stricta eorum interpretatio, quæ aliquem effectum proficuum producere posset non procedit in ultimis voluntatibus, in quibus benigna fit interpretatio voluntatis unius tantum, inspicendo quid verifimiliter ille voluerit, sed procedit in actibus inter vivos correptivis, in quibus non unius tantum, sed utriusque contrahentis voluntas attendenda venit; Potissimè vero ubi agitur de illis, in quibus ille, qui recipit, contendit potius de lucro, ille verò, qui dat, contendit de damno, & diminutione sui patrimonii; ac propterea quoties istius magis interest strictam, & rigorosam fieri interpretationem, ista attendenda venit, quod exemplariter solet in concessionibus feudibus, & emphiteuticis, ut ita citius bona ad ejus primæviam unitatem redeant, & nihilominus etiam de hac specie disputationis ageretur, exorbitans, ac irrationabilis censendus esset iste intellectus.

Motivabatur in nota desuper data pro consilio obtinendo de duobus, primò nempe, An fieri posset nominatio non solum in casu demandato pro testatore, quod ultimus de linea decederet sine filiis, sed etiam ubi isti decederent in pupillari etate; Et secundò quod prætor Dux possidet alteram primogenituram fortè majorem ejus familia, cum eodem præcepto cognominis, & insignium; ac propterea intraret incompatibilitas, de qua supra *disc. 7. 9. & 13.* Neutræ tamen difficultatem obflare dixi, non quidem primam, cum expressè desitum sit in jure, ut paria sint mulieres extrare filios, vel extrare, & decedere in pupillari etate, ex eadem ratione, de qua supra præcedendi substantiam voluntatis, seu finem, & effectum.

Et quoad alteram plura dicebam; Primò, quod incompatibilitas non percutit acquisitionem, sed retentionem, ut in locis *max. civitatis*, ideoque ubi fieret casus, posset Dux refutare primam primogenituram aliquibus ex ejus filiis, & assequi illam. Secundò, quod in hoc Principatu, ita docente praxi pluribus *hoc tit. insinuat*, & alibi, magis fortè, quam in quocumque alio, sunt faciles omnimodæ derogationes, multò verò magis dispensationes mediæ, & reconciliativæ, super mixtura; Et tertio in idem ob assistentiam verisimilis voluntatis ambitiosi testatoris, quod si cogitasset, seu prævidisset casum, quod defecisset de ejus sanguine, & familia nubere deberet in familia adeò nobili, & qualitate Florentinæ Civitatis, de qua, vel de ejus dominio ipse etiam, verifimiliter id nimium gratum habuisset, ut etiam *loci civitatis* advertitur.

URBINATEN. PRIMOGENITURÆ

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

An possessor primogenituræ possit eo motivo ingratitudinis, vel ob aliquod crimen tollere fideicommissionem primogenitæ, & alteri ex filiis deferre, & quid ubi accedat autoritas Principis; Et an impotentia naturalis, vel accidentalis primogeniti procreandi filios, illum à successione excludat.

SUMMARIUM.

- 1 De quæstione, vel casu controverso.
- 2 Quando possessor fideicommissi, vel primogenituræ possit interverti, et ordinem accessionis.
- 3 Quod id fieri possit cum autoritate Principis, etiam si requiratur ista causa.
- 4 An causa ingratitudinis apta ad exheredationem sufficiat, ut pater tollere valeat primogenitum successorem.

Card. de Luca, Lib. X.

5 Quid in casu aliorum criminum.
6 Et quid ubi non esset aptus ad procreationem filiorum.

D I S C. CCLXIII.

Consultus fui pro veritate suppressis nominibus super pluribus quæstionibus; Primò nempe, An possessor primogenituræ, qui plures haberet filios, excludere posset primogenitum, & aliquem ex aliis vocare; Secundo, an id fieri posset cum autoritate Papæ, vel alterius supremi Principis; Tertio, quid accedente motivo ingratitudinis primogeniti erga patrem, five ex aliis criminibus; Et quarto, quid ubi primogenitus ex impedimento naturali, vel accidentali esset inhabilis ad procreandum filios, an ex ista causa posset pater illum excludere, super quibus respondi.

Ad primum, quod præcedendo à concessione Principis, & à motivo ingratitudinis, negativa effectum minò placet, quoniam juxta distinctionem, de qua pluries in præcedentibus, præsertim *disc. 55. & 57. & alibi*, facultas præcedendi, vel gratificandi procedit solum in fideicommissis conservatoriis, in quibus sufficit non egeat in deo testatore desideratum, intra quod alienari, vel disponi potest etiam in remotiorem, neglecto proximiori, ut etiam insinuat supra *disc. 203.* Secus autem in restitutorio, cum tunc gravatus non possit interverti ordinem à testatore præhibitum. Quinimò in fortioribus terminis facultatis gravato concessæ gratificandi, & prælegendi, ut adhuc juxta bene regulatum ordinem intra genus volitum, id in illo exerceri debeat, & non aliàs, habetur supra *disc. 57. & disc. 33.* quod etiam super denegata facultate possessoris præjudicandi primogenito, gratificando secundo, vel ulteriori generi in feudis antiquis habetur *sub tit. de feud. disc. 12. & latius in controu. Rosoli* super eodem casu prodita.

Ad secundum respondi affirmativè, ubi etiam alia justa causa non accederet ex eisdem motivis, & rationibus, de quibus *disc. 148. & 177. & in aliis sub tit. de Regal. ac etiam disc. 73. & seqq. sub tit. de feud. occasione agendi de Bulla Baronum, & hoc tit.* pluries occasione agendi de particularibus derogationibus, ac licentiis alienandi, quod est quod fortius; Nihilimò verò expedire dicebam, an concurreret, necne, alia justa causa, non quidem quod ista quoad forum extraneum sit necessaria, ut *loc. cit.* habetur, sed ad effectum ut ista gratia faciliùs concedenda veniat, vel quod concessa substitueatur, dum aliàs idem, qui eam concessit, frequentius verò successore eam revocare solet, & sic ad effectum regulandi potius voluntatem, quam potestatem; Atque in comprobationem deducebam in specie primogenituræ, exemplum in nostra etate practicatum in Urbe in primogenitura Domus Contestabilis Columnæ, quod Contestabilis Philippus indignatus cum Principe Bueræ ejus filio primogenito, non tamen ex delicto, vel alio motivo culposo, sed quia ille non esset, ut ipse cupiebat, omnino obsequens ejus sensibus, cum auctoritate Urbani Octavius illum excludit in primogenitura, ad quam vocavit Hieronymum Cardinalem secundogenitum, non tamen adfuit occasio de viribus istius gratiæ coram successore disputandi, dum dictus Princeps paulò post mortem patris, obiit sine prole, dicto Pontifice adhuc vivente.

Ad tertium distinguendo motivum ingratitudinis erga patrem, cum præsupposito, quod ea esset apta ad exheredandum, utpotè ex quatuordecim causis in jure recensitis, vel aliis æquipollentibus, ab aliis delictis extra personam patris; Cum adhuc occasio non delisset illi formiter in foro disputare; Hinc dicebam, quod non de facili maturum iudicium desuper efformari poterat, Loquendo tamen cum iis, quæ habentur apud Doctores, magis communiter receptum videri dicebam, quod ubi agatur de primogenituris non exigentibus qualitatem hereditariam ultimi possessoris, adeo ut successore ab eo independentem suum jus metiatur ab ejus ordinatore, ingratitudo, & exhereditatio non obstat, ex deductis per Molin. de *Primogen. lib. 1. cap. 9. num. 2. cum seqq.* ac etiam magis communiter firmant feudistæ, ubi agatur de feudis antiqui pacti, & providentiæ non exigentibus qualitatem hereditariam ultimi possessoris ex plenè relatis per Ursin. de *feud. part. 1. quæst. 6. art. 1. num. 25. & seqq.* & quamvis *idem ex num. 31. ad fin.* contrarium sustineat, at tamen movetur ex jure feudali, admittendo conclusionem procedere in primogenituris.

Considerabam tamen, quod in istis primogenituris Italiae ex merè privata dispositione erectis, adeo ut non intrent illæ considerationes, quæ cadunt in primogenituris qualificatis Hispaniæ, juxta distinctionem, de qua supra *disc. 7.* ac etiam in Lucana *disc. 260.* faciliùs, quam in feudis pacti, & providentiæ, quod obtineri dicuntur potius dire-

Ad à Principis concedente, exheredatio ex iusta causa ingratitudinis oblati deberet, cum in effectu ista primogenitura aliud non importent nisi simplex fideicommissum in hoc alteratum, ut non admittat divisionem, seu pluralitatem successorum; In fideicommissum autem, licet ex iudicio ordinatoris successio sit necessaria, adeo ut per gravatum alterari, vel interverti non valeat, ut supra; Attamen ipsi gravato potius succedi dicitur, dum ab eius persona regulatur proximitas, & ordo succedendi; Inspecta vero eorum originaria natura, illa non erant necessaria, & obligatoria, cum id recentiori tempore per Augustum introductum fuerit, ut scripsit advertitur supra hoc tit. & praesertim disc. 141. & disc. 89. & in aliis sub tit. de feud. occasione Bullae Baronum; Ideoque sicuti de facili eis derogatur, sive praesumpta ordinatoris voluntas intrat, iuxta ea, quae habentur praesertim disc. 74. in dist. tit. de feud. & disc. 145. de Dote, ad materiam Auth. res. que, ita ex eadem praesumpta, & versimili voluntate fideicommissantis, indignus reputandus videtur ille, qui ob ingratitudinis causas a patre iuste exheredari mereatur; Accedente quoque nimium probabilis ratione congruentiae, & honestatis, ad refranandos filios, ne ob certitudinem, quam habent succedendi in bonis possessis per parentes, ab eis independentem, & contra eorum iudicium, sibi licentiam assumant contra praecipua non solum juris positivi, sed etiam Divini, & naturalis cum illis irreverenter agendi, maleque tractandi.

Respectu vero aliorum criminum indifferendum, ac alias, quam cum patre possessore, ut supra; Dicebam, quod nulla ratio suppetere videretur, quod possessori gravato talis facultas concedatur, cum solum in illis criminibus, quae irrogant infamiam, quaestio intrat non ratione delicti, sed ratione infamiae, quae tamen considerabilis reputatur in majoratibus, & primogenituris qualificatis Hispaniae ratione annexae administrationis, & iurisdictionis, secus autem in istis privatis, ex deductis per Molin. lib. 1. cap. 13. num. 7. cum seqq. Unde quando delictum sit tale, quod causet indignitatem, ut exemplificari solet in occidente gravatum ad effectum accelerandi successionem fideicommissariam, tunc potius intrat jus sicuti auferentis ab indigno, ut ex Peregr. & aliis habetur apud Fufar. quast. 317. num. 18.

Ad quartum dixi planam videri negativam quoties non recitat voluntas testatoris, dum ex pluries deductis in praecedentibus, passim receptum est Clericos seculares, quamvis in sacris succedere in fideicommissis, & majoratibus, ac primogenituris etiam qualificatis Hispaniae, cum sola ratio dubitandi cadat in Religiosis professis, ex insinuatis supra disc. 63. cum pluribus seqq. ac etiam in terminis fortioribus furiosi, vel amentis, ut ratio dubitandi cadat in dictis majoratibus, & primogenituris qualificatis, vel in Principibus, & feudis ratione regiminis, & administrationis, non autem in istis primogenituris privatis, quae in effectu aliud non sunt nisi simplicia, & ordinaria fideicommissa cum dicta alteratione, ut non admittant divisionem, ac pluralitatem personarum, ut in dicta Lucana disc. 260. nisi constet de enixa voluntate testatoris vocandi solum habiles ad matrimonium, & ad filiorum procreationem, iuxta casum, de quo disc. 203. & 204. cum similibus.

PERUSINA FIDEICOMMISSA.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An successori in fideicommissio, vel alio simili iure volenti vindicare bona per praedecessores alienata, obstat praescriptio, & quando. Et an obstat Bulla Baronum, si ille, qui distraxit, fuisset Baro.

S U M M A R I U M.

- 1 Falli series.
2 Lapsus temporis non attenditur ubi constat de titulo vitioso, & quando vitium tituli obstat, nec ne.
3 Praescriptio non obstat successori in fideicommissio venienti iure proprio, & de rationibus.
4 De operatione centenariae in ratione praesumptionis.
5 Quando obstat titulus, de quo apparet.
6 An tolli possit praesumptio, quae resultat a centenaria.
7 Quod in derogationibus fideicommissorum impossibilis sit probatio negativa, & de ratione.
8 Responsa generalia, & in abstracto sunt inutilia, sed pertinentia est in applicatione, in qua est tota difficultas.

- 9 Sine notitia distincta facti non potest bene responderi de iure.
10 An, & quando privata alienationes valeant ex Bulla Baronum.
11 De exceptione circusculantis ex dicta Bulla.

D I S C. CCLXIV.

Suppressis nominibus Partium, solivique expresso illo loci, ut saepe contingit, pro veritate consultus fui, an praesupposita certa existentia, & pertinentia fideicommissi, obstat successori recuperare volenti bona ad illud spectantia, à tertiis possessoribus, diuturnum silentium eius praedecessorum, adeo ut forte elapsum esset tempus centenarium; Et quatenus non, an obstat Bulla Baronum, ubi detegeretur, quod ille fideicommissi possessor qui alienationes fecerit, esset Baro.

Ad primum respondi, quod certum, ac maturum iudicium desuper dari non poterat, quoniam resolutio pendebat à bono, & prudenti, vel converso malo, & imprudenti consilio, & directione possessorum, contra quos iudicium vindicationis bonorum institueretur, an scilicet producerent necne eorum titulos, ex quibus possidere proferrentur; Ubi etenim eos producerent, atque detegerent irrelevantes, quia sine valida derogatione fideicommissi, aut sine causa de iure canonizata, alienationes contra duplicem legis, & hominis prohibitionem essent factae, tunc certum dixi lapsum temporis quantumvis longissimi, etiam ut nostri dicere solent mille annorum, non suffragari ob initium vitiosum, quod ratione male fidei infectam reddit talem possessionem, iuxta celeberrimum theoricam Innocentii in c. dudum, de decim. de qua disc. 47. de Resol. disc. 3. de alienat. & contra tit. prohib. & disc. 21. de iudic. & disc. 10. de Jurepatr. & alibi pluries; Ac propterea quaestiones restringuntur potius ad factum, ad naturam scilicet, & qualitatem productionis, vel exhibitionis tituli, an facta sit principalter, adeo ut importet dictam restrictionem, ob quam tollatur illa possibilitas tituli melioris, quam praesumere facit possessio immemorabilis, vel centenaria, sive an ille, qui talem exhibitionem fecit, habeat sufficientem facultatem inferendi hoc praedictum, cum aliis seculis illis difficultatibus, quae in facto potius consistunt, quoad ea, quae sunt Juris, conclusio sit summa, & recepta.

Aut nullus exhibere titulus, & tunc pariter eadem intrat distinctio prudentiae, vel imprudentiae respective, An scilicet possessor recurrat ad praedictum illius formalis praescriptionis, de qua in leg. omnes, & leg. sicut, c. de prescrip. cum notis concordantibus in utroque iure Civili, & Canonico sub utroque rubrica de prescrip. adeo ut possessor pretendat ita esse factum esse legitimum perfectum Dominum, ex hoc praesidio, quod ex dispositione legis in odium, & poenam negligentiae, juxta unam opinionem, vel ob favorem publicorum ne diu stent dominia in incerto juxta alteram, tollantur dominium, quod alias supporturum certum, illudque transitum faciat in alterum, ut advertitur locis citatis, ac etiam disc. 133. de feud. & alibi pluries; Et pariter isto casu dicebam lapsum temporis non prodesse possessori, & non obesse fideicommissario ex duplici congrua ratione; Primum, nempe ob regulam, quod non valenti agere, non currit praescriptio; Ideoque cum jus successoris in fideicommissio, vel in alio simili iure non esset apertum nisi post mortem ultimi possessoris, cui ipse succisset, adeo ut prius nullam haberet actionem, hinc sequitur, quod nulla praescriptio contra eum currit; Et secundum, quia negligentia praedecessoris non debet suffragari successori venienti iure suo independentem, & ne alias detur inconveniens, ut quod est directe prohibuit, ita indirecte sequatur, quod scilicet, cum per actum expressum, & positivum non possit alienare, ita sequatur alienatio per actum negativum negligentiae; In idem accedente altera consideratione, vel ratione, quod dominium bonorum habitualiter esse dicitur penes ipsam fideicommissariam hereditatem, adeo ut illud dominium verum, quod ex magis communi, & recepta sententia datur in herede gravato, vel altero possessore fideicommissi habitentis tractum successivum, pluries enunciatur hoc tit. & in altero de feud. ad materiam Bullae Baronum, & alibi, utile, & subalternum positivum dicendum veniat, ac heres gravatus, vel alter possessor, administrationis in rem propria facere dicitur figuram, ad deductis etiam sub tit. de Credito, disc. 36. & alibi, ac propterea lapsus temporis non attenditur, ut firmant relati per Rotam in dec. 220. n. 26. p. 1. rec. & advertitur occasione Juris patronatus familiaris, vel gentilitii, quod regulatur eodem iure, sive cum eisdem

regu-

regulis, cum quibus fideicommissum, discurs. 8. de Jurepatr. & alibi.

Sed si prudentius agendo utatur beneficio temporis, non in ratione praescriptionis, sed in ratione praesumptionis, ac facultatis allegandi quemcumque titulum possibilem meliorem, tunc tempus centenarium recte suam facit operationem, atque possessorum tutum reddit, ut ita distinguendo habetur locis citatis, & praesertim d. disc. 3. de alien. & contr. prohib. disc. 21. de iudic. & disc. 133. de feud. & alibi.

Idque verum quamvis AQOR exhiberet aliquem titulum, qui appareat vitiosus, quoniam possessor dicere potest si supervenisse alium titulum meliorem suppletivum cujuscumque defectus, & viti, vel etiam istum titulum supervenisse, ad effectum cumulandi plures titulos in idem, quoties tamen adit compatibilis, quod scilicet ille, de quo patet, non excludat omnem alium antecedentem, cum tunc possit allegari solum subsequens, juxta ea, quae habentur etiam sub tit. de Jurepatr. disc. 10. & 65.

Et licet ille, qui hanc praesumptionem, & possibilitatem impugnat, & excludere velit, possit contrarium probare, coarctando negativam, & probando, quod possessor, ejusque auctores semper professi sint possidere singulariter, ex eo titulo, de quo patet negativam, vel exclusivam ad quemcumque alium, cum probatio expressa semper vincat praesumptam, juxta ea, quae ad materiam exclusionis beneplaciti praesumpti quoque lapsum temporis, habentur disc. 143. de Dote, & disc. 1. dist. iiii. de alienat. & contra tit. prohib. ac etiam disc. 3. eod. tit. & alibi. Attamen ista probatio quando adit intermedium spatium centum annorum pacifice, & non interruptum videtur habere speciem metaphysicam, & idealitatis, ob maximam ejus difficultatem.

Eoque facilius praemisissa locum habere, observabam ob stylium istius Principatus, in quo forte facilius, ac frequentius in aliis Principatibus praesertim Italiae, conceduntur fideicommissorum derogationes, ac licentia alienandi, ut patet ex plerisque casibus de quibus hoc eodem tit. magisque comprobatur Bulla Baronum, de qua infra, cum facilius praesumatur ea, quae sunt solita, quam insolita, ac propterea possessores quatenus ex dicto prudenti consilio utantur beneficio temporis in ratione praesumptionis, non autem praescriptionis allegare poterunt Apollicas derogationes, quarum negativam in antiquis non de facili convinci potest cum illis diligentibus, quae insinuatur d. disc. 1. de Alien. & contra tit. prohib. & disc. 143. de Dote, quinimo etiam in factis modernis, stante quod aliqua derogationes concedi solent per chiographa, quae non registrantur, vel registrantur custodiuntur cum ea diligentia, cum qua registrantur litterae Apostolicae expedite per viam Cancellariae, & per viam Secretariae Brevium, & quae registra diligenter custodiuntur in Archivio existente in Arce S. Angeli, adeo ut hujusmodi negativa non sit ita justificabilis, ut est illa in negotiis, quae cum dictis litteris expediri solent.

Istam itaque in hoc primo quaestio dicebam videri pro meo iudicio Juris theoreticum, quam ita generaliter, & in abstracto, praeter stylium insinuabam, ad effectum, ut ejus applicatio fieret, juxta circumstantias particulares casus; Verum, cum professata ingenuitate insinuabam, quod consilium esset inutile, continens quamdam speciem scholasticae repetitionis, vel academici discursus inutilis, praesertim in partibus, & extra magnas, & Metropolitanas Civitates, ac propterea non ad illa copia excellentium professorum fore, quae in magnis, & Metropolitanis Civitatibus haberi solet, quoniam pro meo iudicio hodie difficultas in forensibus quaestionibus, atque professorum peritia, & conclusionum Juris in abstracto, sed in earum congrua applicatione ad casum praesentem, de quo agatur, bene distinguendo casus, & terminos ne capiat quid pro quo. Multos etenim cognovi ingeniosissimos, nimiumque elaboratos habentes penes centesimum numerum voluminum repertorium, siue cum utraque felicitate ingenii, & memoriae optime discurrentes de omnibus conclusionibus, & materiis, & tamen descendendo ad applicationem, nihil valere in judicando, vel consulendo, atque in magna, & frequentia incidere aequivoce ad defectu iudicii.

Quo vero ad alterum punctum, discurrendo pariter theoretice, & in abstracto, ob deficientem bene distinctam notitiam facti, sine qua impossibilis est maturum, & aequum iudicium daret; Dicebam, quod alienationes, quae privata auctoritate fiant per possessorem fideicommissi, non subsistentur per bullam Baronum, quoniam illa non concedit talem facultatem possessoribus, sed solum tribuit

Card. de Luca, Lib. X.

facultatem Congregationi procedendi ad alienationem, fideicommissio adhuc durante, & transulo in alia debitoris bona, adeo ut operatio Bullae ex veriori sententia sequatur ut nunc, & non ut tunc, ex pluries deductis in sua sede sub tit. de feud. ad materiam istius Bullae, praesertim disc. 68. & 82. & in aliis.

Eatenus autem alienatio, quae cum privata auctoritate facta sit, subsistet quatenus intrat ratio circuitus, de qua in dec. 401. & 482. quod scilicet possessor fideicommissi cum bona fide, ac more diligentis administratoris ad impediendam majorem jacturam, quae verisimiliter sequeretur ex venditione sub hasta, quae alias urgentibus jam creditoribus sequuta esset per viam Congregationis Baronum, occurrat cum impositionibus censuum, vel cum aliis alienationibus minus incommodis, minusque praedjudicialibus, sed dicebam eatenus hujus declarationis applicationem intrare posse, quatenus ageretur de alienationibus modernis facti post dictam Bullam, ejusque praxim, & introductionem extra Urbem per Statum Ecclesiasticum, quod nominis cum moderno tempore sequutum est; atque dum supponebatur quod intermediaret tempus antiquum, etiam ultra centum annos ita excluderetur applicatio hujus conclusionis, si deoque videbatur, quod tunc de invaliditate responderi posset.

Adhuc tamen mihi inerebat difficultatem consideratio, quod receptum est quamvis exorbitant, quod Bulla praedicta habeat oculos retrò, & procedat etiam per debitis tractatis ante illius editionem, dum ita quatenus illi qui alienationes fecerunt, tunc essent Barones, quod pariter non explicabatur, possent possessores evictionem patientes obtinere mandata pro evictione contra eorum haereditates, illorumque executionem perire super eisdem bonis; Et per consequens intraret ratio circuitus, de quo receptum est etiam extra Congregationem in quo cumque Tribunali posse excipi, juxta dec. 914. Dunozeiti, & pluries advertitur in dicta sua peculiari sede de feud. ad materiam Bullae praedictae, ideoque concludebam idem, quod in alio quaestio, quod licet sine meliori, magisque distincta notitia facti maturum, ac maturum iudicium, seu consilium dari non poterat.

MUTINEN. PRIMOGENITURAE AD PETITIONEM EVANDRI GRILENZONI.

Responsum pro veritate.

De derogatione fideicommissi, an suffragetur haereditibus illius, qui eam obtinuit, sed non est usus.

Et de ejusdem derogationis vitio, ac infectione.

S U M M A R I U M.

- 1 Falli series.
2 Gratia derogatoria fideicommissi non suffragatur, si ille, qui obtinuit, non maturus.
3 De eodem, & de circumstantiis id comprobantibus.
4 De obligatione Patris dotandi filium congrue.
5 Ex quibus gratia derogatoria censenda sit invalida.
6 De precepto cumulandi fructus ad commodum hereditatis.
7 De aperiitione omni concedenda per Principem ad veritas gratias praedjudiciales.

D I S C. CCLXV.

Ordinato per Hortensem Grilenzonium de anno 1586. perpetuo fideicommissio masculino, cum ordine primogeniturae, seu majoratus ad favorem plurium linearum ejus familiae cum ordine inter eos praescripto; sub ea praesertim lege jam adimpleta, ut fructus bonorum hereditariorum, spatio quindecim annorum cumulari, & investiri deberent ad commodum hereditatis, ejusque augmentum cum strictissima prohibitione alienationis, sub poena caducitatis, & annullatione actus, non obstante quacumque derogatione obtinenda à Duce pro tempore; quam obtineri, vel obtenta uti prohibuit. Cum hanc primogenituram possideret Hieronymus, iste preces praescrixit illi Supremo Principi, in quibus facta mentione hujus fideicommissi aperiendi ex defectu prolis masculinae ad favorem agnatorum transverfalium, adeo ut unicae filiae, & uxori post ejus mortem non remaneret facultates sufficientes pro earum sustentatione cum periculo fame, seu extinctionionis; Quodque ipse Orator praetenderet, quod dicta dispositio Testatoris super administratione, & cumulo fructuum non subsisteret, ut pote

Hh 4 repu-

repugnans legibus, sed quod licet desuper prosequi nimium incommo- dum esset: Idcirco supplicavit pro derogatione fideicommissi respectu bonorum, quae ex dicto cumulo fructuum quaesita fuerunt, ea in calce praesentis describendo, sub- blata facilitate alteri iudicandi, vel declarandi, seu limitan- di, & moderandi hanc derogationem, sive admittendi ex- ceptionem subreptionis, vel obreptionis &c. Atque desuper sub die 17. Octobris 1668. proditi rescriptum suae Celsitudini per verba praecisa, Concediamo, e deroghiamo con- forme si dimanda.

Cumque usque ab anno 1657. praefatus Hieronymus con- didisset testamentum, in quo insignitas haereditibus ejus filius masculis cum fideicommissio defensivo inter eorum descen- dentes masculos, quorum ultimo substituit duo loca Pia, re- lictio usufructu uxori, ac etiam relicta dote scutoium bis mille pro legitima; & toto eod. Agathe filiae tam in castu nuptiarum carnalium, quam spiritualium. De anno 1668. misit Codicillos, in quibus enjunctio praefato testamento condito de anno 1657. illud in omnibus approbavit, & confirmavit; addita solum prohibitione dictae Agathae filiae, & Virginiae uxori, nec eundem agnato transverfali, ejus- que filiis converteretur in executionem ejusdem praeccepti sibi injuncti de anno 1662. a Duce Francisco, quod in eisdem Codicillis inseruit; Eoque defuncto de anno 1672. cum praesupposito, quod in ejus libera haereditate remanserint bona scutoium octo mille circiter, ac propterea per talem obitum absque prole masculina superflite tantum dicta Aga- tha unica filia, aperiuntur dictum fideicommissum ad fa- vorem praefati Evandri agnati sine dubio vocati, quaesitum fuit, ad quem praefata gratia derogatoria operaretur.

Tres autem in responso distinguebam inspectiones; Prima scilicet voluntatis, an posita etiam dictae gratiae validitate, & subsistentia, voluerit praefatus Hieronymus illa uti, eaque utis esset; atque posito non usque expresso, quis exinde refulsaret. Secunda, an quatenus utis esset, ea tanquam sub falsis praesuppositis extorta suffragaretur, etiam absque alta oris aperiitione. Et tertia quatenus de super necessaria esset praesupposito adversus clausulas praesuppositas, an iuxta terminos illius iustitiae, quae Supremos etiam Principes, sal- tem in ratione directa obligat, et congedi deberet.

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem, re- spondi mihi videri, quod verferetur in casu claro non utis, quodque propterea dicta gratia (posita etiam ejus validitate) nullatenus operativa esset, perinde ac si non esset in reum natura, quoniam regulariter ex generali dispositione Juris, hujusmodi gratiae fideicommissorum derogatoriae, cum facultate alienandi bona fideicommissaria, vel aliter de eis disponendi, eam implicatam continent conditionem, Si & quatenus ille, qui imperpetuum utatur, tamque ad exercitium expressis deducat, adebit dato non usu habeatur, ac si gratia facta non esset; ex his, quae in puncto cumulatur per Salgad. in *Labyrinthi. creditor. part. 2. cap. 10. & in num. 87. ad 112.* ubi late per ejus stylo cumulantur auctoritates, & particulariter de hoc agitur *disc. 42. de Cred. ubi concordantur*. Atque videtur in iure absolutum, quoniam quaestio dis- putata per DD. An facultas disponendi fiat generica dis- positione testamentaria, vel potius veniat sub generali dis- positione testamentaria, vel etiam intestata, & de qua agitur supra *disc. 58.* sequeretur, quod ista bona spectare deberent ad duo loca Pia substituta, quae ex substitutione vulgari remanebant haeredes contra omnem verisimilem voluntatem, tam dicti Hieronymi defuncti, quam Principis, qui gra-

Clarior verò, & cum longè minori difficultate in isto ca- su ob duplicem circumstantiam; Primo nempe, quod facul- tas disponendi concessa erat ad ejus arbitrium, ut probare observabam illa verba, *a suo arbitrio*, Ideoque quidquid sit, an importent arbitrium boni viri regulandum a causa, vel potius sit arbitrium liberum, ob illud verbum *liberamente*, certum esse dicebam, quod id denotat facultatem persona- lem, non transmissibilem ad haeredem, ex deductis per Salgad. ubi supra.

Et secundo, quod cum ista facultas non esset restricta ad favorem certae personae, sed esset indefinita, liberè scilicet disponendi pro arbitrio, dictisque facultatarius objerit, condito testamento. Hinc proinde si non requireretur dis- positio specialis, adebit venire sub ea generali dispositione, quae inesse dicitur inclinationi haereditas, iuxta deducta *d. disc. 58.* sequeretur, quod ista bona spectare deberent ad duo loca Pia substituta, quae ex substitutione vulgari remanebant haeredes contra omnem verisimilem voluntatem, tam dicti Hieronymi defuncti, quam Principis, qui gra-

tiam concessit, cuius causa falsum impulsiva fuit congrua proviso filiae, & tamen ista alium pretendere non poterat, nisi scuta bis mille, in quibus vult instituta haeres particularis dum univversalis haereditas debita erat praefatis locis Pii substitutis, qui ob caducatum primum gradum haeredum institutorum remanebant primi.

Porrius verò dum idem Hieronymus post imperatam istam gratiam, codicillis ordinavit, in quibus expressè ap- probavit testamentum, cum quo decedere voluit, adebit intrare non valeat illa quaestio, quae disputari solet ad ma- teriam text. in *l. sancimus. C. de testam.* de qua agitur *sub rit. de testam. disc. 64.* An scilicet lapsus longi temporis decem annorum cessare faceret testamentum: adebit Testator, habendo illud pro derelicto, decedere voluerit ab intestato, cum ista quaestio esset in radice ob dictos codicillos.

Et per consequens esset dare maximum absurdum contra verisimilem intentionem, tam concedentis, quam concessio- narii; & contra expressum finem, ad quem facta est con- cessio, quod bona tanquam effecta de haereditate libera dicti Hieronymi, spectarent ad dicta loca Pia substituta, quod nullatenus est dicendum. Ideoque non videbatur qualis es- set finis, vel effectus istius causae ex parte Agathae, nisi exci- tate duo loca Pia, quae dormiebant, sive quod ista esset nimium evidens, & clara probatio voluntis quod praefatus Hieronymus noluerit ista facultate favore Piorum locorum extraneorum.

Neque dici posse videbatur, quod ejus interesse consti- teret in ea dote congrua, quam filia in bonis Patris etiam contra ejus iudicium ab ejus haereditibus petere poterit, ex his, quae ad hanc materiam aducuntur *sub titulo de Dote. disc. 1. & 142.* quoniam idem Pater jam taxavit, quantitate con- gruae dotis in scutis bis mille, atque in dubio praesumptio assitit iudicio paterno; Sed quando etiam liceret istud re- darguere: arramen cum taxa dotis congruae pendente cir- cumstantiis recentibus *d. rit. de Dote. disc. 144.* utique nun- quam ista dos necessaria ascendere poterat ad summam centum octo mille, quam supponitur importare bona libera remanisa in praefati Hieronymi haereditate.

Hinc nulla subsesse videbatur necessitas assumendi alias duas inspectiones, dum ita quaestio cessabat in radice: Verum ubi de illis agendum esset; Quatenus pertinere ad veni- endam, inspectionis scilicet dictae gratiae, dixi quod illa vi- debeatur clara ex pluribus.

Primo, quia non erat facta explicita narratio enixe pro- hibitionis, quam Testator fecit, non solum alienandi, sed etiam obviandi derogationem a Principe, vel illa utendi; istaque circumstantia debebat exprimi, atque alias gratia remanet nulla; ut in terminis proximis consimilis derogationis fideicommissi, non facta mentione aliarum cir- cumstantiarum redolentium magis enixam voluissent Testatoris, caeteris relatis firmatur apud Peuting. *inver. suas dec. 456. & 476.* & in alia eorum confirmatoria coram Priolo, *dec. 223. par. 12. ver.*

Secundo, quia tacetur, quod ipse haberet bona libera, quae innotesceret valoris scutoium octo mille, ultra pecu- niam numeratam, & mobilia, quae supponebantur occupata, & cum quo assè certè filiam providere poterat, ut in specie ponderatur in eisdem proxime allegatis de- cisionibus; Possimè, & clarius dum ipsemet jam taxave- rat dotem congruam dictae filiae in scutis tribus mille, ideo- que praesuppositum erat evidentè falsum.

Et tertio, quia aliud fecit falsum praesuppositum, quod Testatoris praecceptum super dicto cumulo, & investimen- to fructuum non subsisteret, atque haberet legem repugnanti- am, adebit etiam de iustitia potuisset illud rescindere, me- diante lite, quam volebat assuere, timens ejus proximam mortem; Et tamen istud praesuppositum erat omnino fal- sum.

Si quidem in hac materia cumuli fructuum pro impugna- tione haereditatis, vel fideicommissi, sola quaestio cadit circa voluntatem, an, & quando adesse dicatur; Sed quando ista est clara, & expressè, ut in praesenti citra omnem dubi- tationem aderat, adebit intrare vulgaris regula text. in *l. ille, aut ille. ff. de legat. 3.* quod scilicet in claris, & expressis non intrant quaestiones, & argumenta; Tunc non cadit, nec quidem principium dubitandi de potestate; ut omis- sis generalibus, in terminis individualibus istius praeccepti firmatur per Rotam *decis. 682. p. 2. rec. reperit.* apud Gratian. *disc. 540.* & in Romana Legati 3. Junii 1658. & 16. Junii 1659. coram Cerro, in casu, de quo agitur supra *disc. 187.* & patet etiam ex casibus *ead. rit. disc. 188. 189. & 190.*

Et quidem si absolutum hodie habemus conclusionem, quod

quod testator potest disponere de bonis propriis haereditis gravatis, caque fideicommissio supponere, ex relatis supra *disc. 143. cum pluribus seqq.* ubi recententur auctoritates, & decisiones, multò magis, absque principio dubitandi, di- cendum est, ut adjecte possit legem bonis suis, quae poterat non relinquere ipsi personis; sed alios omnino extraneis sibi benevitis.

Veniunt ubi reverentiam clausularum Judices ab ista cog- nitione se abstinere debere credentes, Principe praesente, ad quem recursus haberi potest; In quo, assumendo tertiam in- spectionem, dicebam, quod ex illa iustitia, quae non quidem in ratione praecisa, & coactiva, sed in ratione directiva obli- gat etiam Supremum Principem, oris aperiitione denegari non deberet, vel per viam omnimoda reductionis gratiae, ac si non emanasset; ut etiam a Romano Pontifice super ejus, vel praedecessoris gratiae fieri poterat, *dec. 697. p. 3. rec. Dunozet. dec. 768. in fin. & in aliis.* vel saltem pro illa aperiitione oris habilitativa Judicum, & Tribunalium ad cognoscendum de subreptione, aliique gratiae vitis, prout de jure: Id etenim nullo pacto denegandum esse, nec denegari solere ex his, quae caeteris relatis in his terminis aperiitionis oris habentur *dec. 461. p. 1. rec. & dec. 621. p. 3. Mar. chelan. de commissis. or. par. 2. fol. 41. m. 50. & seqq.* & insinuat *disc. 20. de Judic. & disc. 31. in Relat. Cur.*

Neglectis enim quaestionibus, quae praertim per Theolo- gos, ac etiam per aliquos Juristas disputantur circa potesta- tem Principis tollendi Juris, ac derogandi hujusmodi fideicommissi sine jura causa, atque retracta opinione in foro externo, quae favet, ac assitit potestati Principis, ex plene deductis *sub rit. de Regal. disc. 148. & 171. & in aliis.* Adhuc tamen, quod iuxta causam non urgeat, debet Princeps, ac so- let ejus gratias revocare, adebit concedat Officialibus; & Magistratibus gratias non exequi, sed Principi replicare ad hoc ita audita Parte interessata, qui praedicator, & cognito, quod fuerit circumventus, cum minus veris praesuppositis, gratiam revocet, ex his, quae habetur deducta *d. disc. 148.* ubi concordantur: Multiò magis ubi non petatur omnimoda, & formalis revocatio, sed solum habitatio Judicum adver- sus clausulas praedictas, ut cognoscere possint de vitis subreptionis, & obreptionis, ac defectus intentionis, prout de jure, cum id nunquam denegari debeat, nec soleat, quod tamene debeat ad superabundantiam, cum primum moti- vum tolleret omnem difficultatem.

FLORENTINA FIDEICOMMISSI DE MACCHIAVELLIS
P R O
S E N A T O R E M A Z Z E O
D E M A Z Z E I S
C U M
M A C C H I A V E L L I S.

Responsum cum sensu veritatis, ut faceret, pro confirmatione Requisitionis Rote Florentinae.

De alienatione bonorum fideicommissi in vim derogationis, & licentiae per principem, an, & quando valeat, necne.

S U M M A R I U M.

- 1 *Facti series.*
- 2 *Alienationes sive cum derogatione fideicommissi, regulariter sunt firmæ, & validæ.*
- 3 *De potestate Principis concedendis has licentias, & derogationes.*
- 4 *Derogatione qui haec potestas innotuit.*
- 5 *De decisionibus annullantibus has alienationes, derogatione non obstante.*
- 6 *Distinctiones inter plures derogationum species.*
- 7 *Materia subreptionis, & obreptionis, vel defectus intentionis, quando regulari debeat.*
- 8 *De circumstantiis concurrentibus in casu pro exclusione subreptionis.*
- 9 *Derogationes, validas reddunt alienationes, sed non solum obligationem alienantis.*
- 10 *Derogationibus, cui innotuit Bulla Baronum.*
- 11 *Respondetur decisionibus, de quibus num. 5. & quando procedant.*
- 12 *Declaratur conclusio super necessitate alienandi prius bona libera.*

13 *An, & quando defectus summe non servata irriter hunc actum.*

14 *Nil refert quod creditor aliquid remittat emptori.*

15 *De affirmatione bonorum quomodo faciendâ sit in hac specie alienationum.*

16 *Conclusio Disjunctiva.*

D I S C. CCLXVI.

Ravati notabilis aere alieno erga Montem Pietatis Flo- rentiae, Cardinalis, & fratres de Macchiavellis, obti- nuerunt de anno 1645. ab eo Magno Duce licentiam ali- nuerunt quandam villam, aliaque bona, quorum pars fideicom- missi majorum subiecta erat ideoque ad praedictae licentiae formam, illa vendita fuerunt Senatori Mazzeo de Mazzetis contra quem seu ejus filios, iudicium instituerunt praedictorum fratrum de Macchiavellis filii ad fideicommissum voca- tum fratrum de Macchiavellis filii ad fideicommissum. Re conven- ti, sed à Magistratu primè instantiae proditit. Re conven- ti, confirmata in gradu appellationis per illum per Rotam de mense Augusti 1673. atque actoribus petentibus revisionem in hoc statu ex parte Mazzei requisitis fuit ad scribendum pro ejus comprobatione, atque cum sensu veritatis, iuxta styllum in causis extra Curiam, respondit, ut se- quitur.

Punctus est in objectis super praesentia inefficacia derogationis fideicommissi, dum eis non subsistentibus, de plano fundata remanebat intentio Rei, & possessoris, qui in vim derogationis concessa per supremum Principem bona con- troversa emittit, ex deductis per Rotam *dec. 336. m. 7. & seqq. par. 4. rec. 10. 2. latè apud Orthobon. dec. 249. m. 1. & per tot.* & pluries advertitur supra praertim *disc. 6. m. 4. & disc. 167. m. 5.* atque supponebatur tanquam certum in eisdem decisionibus, & auctoritatibus in contrarium deductis.

Quamvis autem, ut ex eisdem motivis patet, Scribentes pro actoribus in prioribus disputationibus duas objectionum species deduxissent, unam nempe super defectu potestatis supremi Principis concedendi hujusmodi derogationes, per quas tollitur Juris aperiitione iuxta causam concernente publi- cam utilitatem; Et alteram super vitio subreptionis, & obreptionis ex defectu voluntatis, sive ob non servatam formam; Prudenter tamen idem, vel alii Scribentes primam neglexerunt speciem, quoniam quidquid aliqui cum antiqua legalei- ca simplicitate, dixerint in hac materia potestatis Principis in iis, quae pendunt à jure possi vohodie in foro externo iudiciario extra controversiam id remaneat, ex his, quae generali- ter ad hanc materiam potestatis tollendi Juris tertii habentur late deducta *sub rit. de Regal. disc. 148. & 171. & in aliis.* atque aliquid etiam deducitur *sub rit. de Feud. disc. 9. & 12.* circa potestatem Principis in alteratione naturae feudi.

Specialiter verò in his terminis derogandi fideicommissi, majoribus, & Primogeniuris, occasione agendi de *Const. 41. Clementis VIII.* quae vulgò *Bulla Baronum* nuncupatur, advertitur *d. rit. de Feud. disc. 73. cum seqq. & disc. 89.* in quibus praertim in hoc ultimo illa congrua ponderatur ratio, quod fideicommissa antiquitus apud Romanos non erant obligatoria, sed eorum observantia à fide, & à legibus convenientiae pendebat, Augustus verò illa reddidit obligatoria, & necessaria, ideoque alter Augustus, qualis dicitur qui libet supremus Princeps in suo Principatu, hanc necessitatem tol- lere potuit, atque ita antiquum rerum statum restituit, ut etiam advertitur supra *disc. 6. m. 4. & disc. 161.* & tanquam in- dubitatum supponitur non solum in *d. dec. 249.* Orthobon. sed etiam in ipsimet decisionibus in contrarium per dictos Scribentes allegatis, nempe in Bonon. fideicommiss. de Rubens coram Peuting. & Corrad. apud illas Peuting. *dec. 67. 113. & 367. reper. dec. 75. & 157. p. 9. & 325. p. 10. rec. & in Firma fideicommissi coram eodem Peuting. apud eundem Peuting. dec. 457. & 476.* & coram Priolo *dec. 233. p. 12. rec.* in quibus pro invaliditate derogationis ex capite subreptionis, vel for- mae non servatae, respondeatur, quoniam in omnibus tanquam absoluta praesupponitur potestas, prout revera inanem char- tarum reptationem continet, quidquid circa hunc defectum in subiecta materia dicitur solet.

Restricta itaque impugnatione ad illam speciem volunta- tis, illam in duas distinguebam inspectiones. Unam circa vitium ipsi gratiae in substantia, & ab initio, an subreptitè à supremo Principe citrà ejus verisimilem voluntatem extorta fuerit; Et alteram super ejus mala executione, seu super ejus for- mae inobservantia, istè siquidem defectum defectum in se diversè sunt, diversamque habent rationem, ideoque distin- ctè, non autem in consulo eas examinandas esse advertetè.

Quatenus igitur pertinet ad primam an scilicet ipsa gratia derogationis in substantia, i ipsoque ejus initio cum pra-

suppo-

fupposito, quod legitimam habuerit executionem, dici valeat laborare defectu subreptionis, vel defectu intentionis.

Negative juxta jam decisa omnino probabilis respondendum esse censui, quodque propterea resolutio Rote confirmatione digna censenda esset, quoniam ut in motivis pro illius Rote commendabili stylo advertebatur, non agebatur de gratia simpliciter concessa ad Partis postulationem, prestando fidem ejus narratis, & in quibus terminis proprie loquuntur præfate decisiones in Bononien. de Rubéis, & in Firmana, & alia auctoritates, quæ in contrarium adductæ sunt, vel adduci possunt; Sed agebatur de gratia, juxta illius Principis magna commendatione dignam consuetudinem, mature concessa prævio consilio Sapientum, quo casu iste defectus non intrat, ut supra deducta per Cyriac. in motivis allegatum controv. 182. bene in terminis derogationis fideicommissi, vel voluntatis testatoris Rota dec. 93. n. 17. & seqq. p. 10. rec. ubi quod ita dicitur totum gestum esse ex certa scientia, & maturo consilio per Principem informatum, cum tamen sufficiat ad hunc defectum excludendum possibilib, vel verisimilib informatio, seu cogitatio, & in terminis alterius derogationis, ultima voluntatis, bene aliis relatis dec. 408. p. 12. rec. ubi concordatæ.

Præterea ne immorari videret in folis generalitatibus semper abhorritis, ac perpetuo damnatis, descendendo ad specialia, reflectendum esse advertebam quod ista materia subreptionis, vel obreptionis, seu defectus intentionis, non habet certam, ac uniformem regulam generalem cuiusque casu indifferenter applicabilem, quonia revera non est questio juris, sed facti, & voluntatis, quæ ex singulorum casuum circumstantiis est desumenda, ideoque dicitur materia arbitrio Judicis, quod est regulandum ex circumstantiis facti, & præsertim ex consuetudine, vel stylo Principis, & ex aliis, ex quibus desumendum est, an ejus voluntas adsit, vel respectivè absit ex deductis apud Mantice. dec. 214. n. 4. Gregor. & ad dec. 150. n. 4. & 10. dec. 83. part. 7. rec. & sæpius in fin. atque in his terminis derogationis fideicommissi habetur supra disc. 165. cum videat principium de facto, ac de jure absolutum; Ac propterea pro meo judicio clarus error est in his materiis procedere cum generali- tatis, cum reverà deciso pendeat ex singulorum casuum circumstantiis particularibus, ex quibus naturalis voluntas est metienda.

Applicando autem ad rem ponderari debere dicebam unum, ac in simul junctas omnes illius casus circumstantias, ex quibus manibus palpari videbatur, quod hoc præten- sum vitium defectus intentionis deesset.

Primo nempe, quod non agebatur de gratia concessa personis obsecris, qui Principi concedenti non innote- scerent, ac propterea in negotiorum multitudine decipi po- nerent, sed agebatur de gratia concessa persona nimium qualificata, & primi ordinis, cum mixtura minus consti- tuti in Cardinali dignitate, unde clara resultat probatio, quod non oscitanter, sed mature, & ex certa scientia, cer- taque voluntate gratia concessa fuerit.

Secundo ex qualitate bonorum, eorumque situs, quod haberet speciem notorii in Civitate, & apud ipsummet Principem concedentem.

Tertio, ex modo concedendi, quod scilicet prius expeti- tum fuit votum Sapientum, & Consiliariorum præstandum prævia informatione, quæ diligenter, ac distinctè capta, & relata fuit.

Quarto potissimè, quoniam ista gratia principaliter ten- debat ad commodum, & ad favorem Montis Pii, qui tunc ex illorum temporum accidentibus, fortius verò ob impedi- tam exactionem montuorum, aliorumque creditorum à di- versis personis potentibus, ut etiam Scribentes in contra- rium supposebant, imò exaggerabant, erat in aliquo malo statu, siue in aliqua periclitatione; Cùmque Princeps esset primus gubernator, ac Protector istius Montis, utpote ad levamen pauperum, aliorumque subditorum, quorum ipse est pater; hinc proinde, magis indemnitati Montis, quam illi de Macchiavellis debitoribus, prudens Princeps ita consulere voluit, dum aliàs stantibus fideicommissis non remanebat ei consilium in credito summe adeò notabilis scutorum septem millium.

Et quinto demum, quia gratia tunc non tollebat jus certum alicujus tertii, dum possessores fideicommissi non habebant filios, quibus jus succedendi saltem in tempore delatum esset, eisque nascituris consilium remanebat in aliis bonis eorumdem possessorum, qui hanc distractionem fecerunt.

Hujusmodi etenim gratiæ, tollunt quidem obstaculum

fideicommissi pro libertate, & validitate alienationis, & pro securitate emptoris, sed non eximunt alienantem ab onere reintegrandi fideicommissum cum aliis bonis tunc possessis, vel in futurum querendis, ut habemus dispositum à simili in Statu Ecclesiastico per Bullam Baronom, & in spe- cie gratiæ derogatoriæ habetur deductum supra disc. 167. par. tot. præsertim n. 10. & generaliter in alienatione facta de consensu vocatorum, ut fit valida respectu emptoris, sed alienans teneatur reintegrare fideicommissum, episcopi debitor remaneat in pretio, ex deductis supra disc. 176.

Hinc proinde dicebam intrare dilemma, quod aut posses- sores fideicommissi possidebant alia bona libera, aut non; Si possidebant, nullum, vel satis modicum præjudicium fidei- commissi, & successoribus in eo per istam gratiam illatum fuit, dum ita consilium remanet in aliis bonis ista juris minis- terio subrogatis, quæ aliàs distrahere oportuisset pro eodem debitor; Et si non possidebant, justum, & congruum fuit hanc derogationem concedere, tum ob qualitatem conspi- cuam ipsorum debitorum, ac propterea intrant illa conside- rationes, quæ ad salvandum Bullam Baronom ab illa iniqui- tate, de qua vulgus ignarus illam redarguit, dicuntur sub tit. tit. feud. disc. 74. Tum etiam ut consuleretur indemnitati Montis Pietatis, ut supra existentibus per Regimine, & pro- tectione ipsius Principis ob publicam utilitatem. Ac propterea verificari quoque videtur illa causa publica, quam aliqui Doctores, in motivis etiam deductis, in hujusmodi gratis desiderant.

Atque ex his patere dicebam, non bene ad rem applicati decisiones Rote in Bononien. fideicommissi de Rubéis coram Peutingerio, & Corrado, & in Firmana fideicommissi coram Peutingerio, & Priolo, ex quibus revera mutatis mutandis omnes in contrarium Scribentes tonum mutaban- t, quoniam in utroque casu agitur de gratia concessa personis privatae fortune abentibus, & ad solam earum supplicationem, adeo non intrant eadem considerationes, & circumstantiæ cadentes in isto casu, ac propterea intrat su- pra infinitus clarus error nimium frequenter declaratus, & inculcatus regulandi hujusmodi questionis potius facti, & voluntatis, quam juris, cum doctrinis, & decisionibus, proditis in casibus diversis, ita in abstracto, & non reflecten- do ad circumstantiarum diversitatem, vel combinationem respectivè.

Ea verò, quæ per Scribentes dicebantur super existentia aliorum bonorum liberorum, quæ prius distrahi debebant, si- ve super hujusmodi bonorum commoda divisione, & separa- bilitate, procedere advertebam in longè diversis terminis, quando scilicet fideicommissi possessio privata auctoritate ob illam licentiam, quam illi lex tribuit, aliam alienationem faciat, juxta casus, de quibus agitur supra disc. 160. & in aliis ibi proximi; Secus autem ubi accedat facultas spe- cialis, præsertim causa cognita, ut advertitur etiam supra disc. 165. ubi in specie allegantur dictæ decisiones in Bononien. de Rubéis, & in Firmana, atque in hoc consistere dice- bam æquivocum clarum, confundendo hujusmodi casus, vel terminos, dum in relatione Magistratus, cui Princeps com- miserat, bene distinguuntur quænam essent libera, & quænam fideicommissaria.

Quo vero ad objectum non servate formæ circa depofi- tum, siue circa minorem valorem locorum montium, bene responderi videtur in motivis, potissimè quoniam cum ista forma respiciat cerum effectum, sufficit illius implemen- tum per æquipollens, per quod idem effectus obtineatur juxta auctoritates relatas tit. de feud. disc. 87. & alibi supra, ac propterea cum de auctoritate etiam ipse Princeps ab evitandum circuitum, vere inane, adimpletus fuerit finis, ob quem alienatio facta est, atque sortitus effectus, quod scilicet pretium erogaretur in extinctionem æris alieni, quod possessores fideicommissi habebant cum Monte Pio, non est de alio curandum.

Tunc etenim defectus hujusmodi formæ insluit in ipsam gratiam, atque cessare facit voluntatem Principis conceden- tis non concessit, quando non sequatur ille finis, vel effe- ctus, qui principaliter voluit esse; & ob quem gratia conces- sa fuit, qui namque contra Principis voluntatem facta esset alienatio, habita fide de pretio postea non recuperato, vel in alios usus erogato, juxta dictatum decisionum casus, quod utique in præfatis ductibus non erat.

Cùmque ipse Mons bonificasset ejus debitoribus septua- ginta loca montium tradita per emptorem ad valorem integri valoris intrinseci scutorum centum pro quolibet loco, ita liberando debitores ab integro debito scutorum septem mill. non videbatur quid interesset, an loca montium tunc valeat.

valeret plus, vel minus; quoniam ubi etiam depositatum fuisset integrum pretium scutorum septem mill. in pecunia vere numerata, adhuc idem effectus resultasset, dum eam- dem summam solveret debetati Monti pro eadem liberatione à debito, quæ cum assignatione locorum montium sortita est, ideoque non videtur ad quid intrerit ista inspectio valoris locorum montium, quoniam fit quod præjudicium adesse, il- lud esse ipsius montis non autem debitori alienantium.

Alterum verò defectum circa electionem, vel relationem peitorum, reputabam discussurum indignum, dum bene, & con- cludenter eirponsum fuit in motivis; Generalitates etem- nim, quæ per Scribentes in contrarium deducebantur, per- tinent illas estimationes, quæ per peritos fiant in causis contentiosis, & merè judicialibus ad effectum subastatio- nis, vel adjudicationis, secus autem in hoc actu extrajudicia- li, & pro sola informatione de utriusque partis consensu, ac propterea illa unicuique difficultas, quæ desuper cadere potest, potius remaneat facti, quam juris, an scilicet in hac estimatio- ne adesse collusio in supplantationem fideicommissi, ut bona, quæ vere tunc valeret centum, alienata essent pro quin- quaginta, seu aliis minus justo pretio, quod non accedente justificatione, non est presumendum. Tum ex regula, quod in dubio præsumenda non sunt delicta, tum ex inverisimilitu- dinis, quod possessores sibi ipsi, eorumque posteritati præ- judicare voluerint in gratiam extranei emptoris, & fortius ob interventum, & auctoritatem Magistratus.

Ultra quod iste defectus, an estimatio suas habeat for- malitates, necne, non respicit substantiam gratiæ in radice, sed potius executionem, ac violationem in parte præjudi- ciali, ex ea clara ratione, quod aliàs si daretur annullatio gratiæ in totum, & quoad substantiam, id principaliter tenderet in damnum, & præjudicium montis omnino inno- centis, qui pretium acceptum restituere deberet emptori, quem omnino iniquum, & irrationabile esset, debere remanere privatum re, & pretio, & sic esset destruerè id, quod principaliter fuit in intentione Principis concedentis gratiam, consilendi scilicet indemnitati dicti montis habentis admixtum favorem, & utilitatem publicam.

Concludendo itaque, iusta, & benèque fundata videtur resolutio Rote, merito confirmanda, quoniam etiam res esse integra, & in fieri, adhuc ita ex præmissis judican- dum esset, quatenus perierat ab substantiam gratiæ, salvo eo quod in factu justificaret circa collisionem, quæ non tangat jus montis, sed fraudem, & supplantationem fidei- commissi cum damno, & culpa emptoris circa præsuppositum longè majorem valorem bonorum, quod totum est factu potius, quam juris, ideoque reservatur iudicio, & pruden- tiae illorum, qui funt præentes in loco, atque bonorum, eorumque valoris, attentio tamen eo tempore, non autem præfenti, notitiam habent.

Incertum verò est quid sequitur sit, probabile tamen est, quod pro confirmatione prodierit resolutio, dum aliàs probabiliter denuò consultus fuisset.

REATINA PRIMOGENITURÆ

I N T E R

FRATRES DE VECCHIARELLIS.

Votum arbitramentale.

Concessa per testatorem heredi gravata facultate erogandi bona hereditaria in emptione alicujus officii, quomodo hæc facultas intelligi de- beat; Et an censatur testatorem disponere voluisse de bonis, quæ non essent ejus libera, sed fideicommissi subiecta.

S U M M A R I U M.

- 1 *Fastidiosus.*
- 2 *Testator volens, potest gravare illum, quem honorat in bonis propriis, sed hæc voluntas non presumitur.*
- 3 *De argumentis excipientibus hæc voluntatem.*
- 4 *Et contra de argumentis dicentibus voluntatem inducentibus.*
- 5 *Habens per se regulam, dicitur habere intentionem fundatam, ideoque sufficit officium, dubiamque reddere probationem limitationis.*
- 6 *Quomodo intelligenda veniat facultas per testatorem concessa heredi erogandi in causam propriam bona hereditaria.*

Posidens Marianus Petrus de Vecchiarellis in Romana Curia Prælati duplicem bonorum speciem, unam nempe subsectorum fideicommissis patris, de quibus à me agitur hoc ut. disc. 18. & alteram libere dispositionis in ejus testamento factis quibusdam legatis de bonis utriusque speciei, respectivè Hippolyto, Bartholomæo, & Pompeo fratribus, sub lege, ne heredem sui præna caducitatis molestare possent, summe testamentum impugnare; In aliis ejus bonis heredem instituit Odoardum ex dicto Hippolyto nepotem, declaratione adjuncta, ut esset in ejus arbitrio vendere officia, loca montium, census, & stabilia, eorumque pretium in alia bona investire, ac emere unum officium magnum in eisdem Odoardi persona, reliquum verò ubi officium emeretur, & ubi non emeretur, totum subiacere voluit fideicommissi perpetuo ad favorem Prælati de Domo, istoque non extante, ad favorem primogeniti masculi de familia. Cùmque dictus Odoardus emisisset prius officium Clericatus Camera, in quo erogavit pleraque dictæ hereditatis bona, & effectus, postmodum verò ad effectum emendi aliud officium majus Auditoratus Camera, aliqua contraxerit debita, pro quibus in vim dictæ facultatis, obligavit tam seipsum, ejusque bona, quam etiam illa dictæ hereditatis, atque idem ad purpuram eve- ctus, dicta debita in toto, vel in parte extinxit; Hinc factò casu per ejus mortem hujus fideicommissi ad favorem Constantii ejus fratris primogeniti, inter illum, ac Maria- num, & Petrum patris fratres, de duobus dubitari contingit; Primum nempe, an sub hac primo genitura veniant bona pertinentia ad antiquiora fideicommissa prædicta patris, & avi testatoris; Et secundò, an præfati Cardinalis hereditas detrahere valeat ex bonis hujus ultimi testatoris eis alienum contractum pro emptione dicti secundici officii Auditoratus Camera, quamvis ab eodem Cardinali dissolutum; Atque concorditer in me remissa determinationem.

Ad primum dixi, quod quando iudicandum esset in solo sensu naturali extra legalium conclusionum cancellos, atque ut dici solet more Veneto, fortè probabilis pro voluntate includendi etiam hæc speciem bonorum esset respondendum ob hujusmodi voluntatis argumentum, quod resultat à legatis, quæ fecit tribus fratribus de nonnullis prædiis, ac bonis, quorum aliqua sunt de ista specie, alia verò de altera, & tamen omnia in casu contraventionis, ac respectivè mortis absque filiis, voluit reverti ad ejus heredem, adeo ut adesse videatur voluntas implicita, quamvis non bene explicata; Sed quoniam iudicandum, & consulendum est more Romano juxta regulas, & conclusiones iudicatas, idcirco inhærendo aliàs motivis pro non comprehensio- ne mihi probabilis respondendum vitium est; Quoniam aliter possit testator ad limites tamen commodos, & emolumenta gravare heredem, vel alium, quem honorat etiam in bonis propriis, at tamen ista voluntas, quamvis etiam nil urgeat in contrarium, non presumitur, sed per allegantem cum expressa, vel etiam præsumpta, & conjecurali, bene tamen concludenti probatione justificanda est, ex firmatis apud Duran. decif. 93. & 119. decif. 339. par. 12. recen. cum aliis relatis supra disc. 123. & plurib. seqq.

Multo igitur magis, quando hæc legis præsumptio fo- mentum habeat adminiculorum, ac particularium circum- stantiarum, ut in præfenti; Primum nempe, quia testator expressè professus est disponere de bonis suis, ibi-Nell'altri miei beni. Secundò, quia cum juramento, & obligatione camerali expressè acceptaverat utramque patris, & avi dis- positionem, quibus ita contravenisset, duplex patrando delictum, unum nempe perjurii, & alterum violatæ fidei, & ingratiudinis erga benefactores, quæ præsumi non de- bent in Sacerdote Prælato, sene, probo, & moriente; Et tertio pro meo judicio nimium stringentur ob indefinitam facultatem concessam heredi alienandi omnia bona hereditaria, ut pretium erogaret in alia investimenta, vel in officium, cum profus inverisimile videatur, ut vir adeò prudens, & providus id demandare voluerit in bonis anti- quis paternis, & avitis.

Observando potissimè contextum testamenti in ipsa institutione, quod respectu stabillium illa diligenter specifi- cat à se ipso quaestita, nempe vineam, & cannetta, princi- paliter vero immoratur in enumeratione officiorum, loco- rum montium, creditorum, investimentorum faciendorum, ac etiam argentorum, librorum, aulcorum, aliorumque mobilium, etiam cum aliquo vitio superfluitatis, ideoque verisimiliter alia expressisset, quæ citra dictum vitium ex- pedie-

pediebat, imò oportebat pfectare; Ac etiam, quod in dicta facultate alienandi principaliter enunciata officia, loca montium, ac census, & ultimo loco ponit stabilia, sub quorum nomine censetur proprie intellexisse de vinea, & cannetis Urbis ob huiusmodi bonorum qualitatem, quod forte magis expediat non habere.

Prædictum verò argumentum contrarium non videtur præfatæ contrariis argumentis præponderare, sed esse potius in numero, & qualitate inferioris tanquam æquivoicum, ut potè referibile ad credulitatem, quod bona legata possent ad eum liberè pertinere ratione legitime aliarumque detractionum, non benè memoria retinendo prohibitionem cum cautela Soccini, dum videmus, quod alii ad eadem fideicommissa vocati hanc prætensionem moderno tempore firmiter habuerunt, adeo ut oportuerit id firmiter disputare in Rota, ut patet ex dec. 235. Celsi.

Et nihilominus sufficeret, quod argumenta hinc inde colluctantia essent æqualia, sive quod aliis invicem se detraherent, imò quod ea, quæ assunt regulæ juris quævis inferiora offuscarent, ac debilitarent ea, quæ adducuntur in contrarium, quoniam qui habet regulam pro se, dicitur habere intentionem fundatam; ac propterea ulteriori non indiget probatione, sed ei sufficit offuscare, dumque reddere probationem contrariam, ne illa periciamur, ut benè dec. 158. & 270. utrobique in princip. p. 10. rec. atque à me advertitur discurs. 2. n. 17. de iudic. & alibi pluries.

Minime considerabile videbatur alterum argumentum, quod si testator habuisset in animo disponere de bonis suis liberis tantum, ista non erant sufficientia ad intantum emptiois magni officii, saltem Clericatus, illud etenim videtur fragile argumentum ex pluribus. Primò ex vulgari didero legalis, quod plus credantur homines de suis facultatibus, &c. Secundo, quia ipse præerat diu supervivere, aliaque facere acquisitiones, ut patet ex ipsometestamento in institutione hæredis, ubi faciunt mentionem de investmentis impostum faciendis; Tertio quia cum Odoardus tunc esset adolescens, adhuc in Prelaturæ statu non constitutus, atque huiusmodi occasione non sint promptæ, neque ita faciles, dum quotidiana experientia edocent vix obtinentur post multos annos prælaturæ, ita creditur istud posse nimium impingui cum multiplo fructum per ipsum demandato; Et quartò, quia non dixit testator, quod officium ex eius assè, & bonis tantum acquiri deberet, sed potius præsupposuit contrarium, ut patet infra in alio puncto, ideoque argumentum non concludit.

Quo verò ad alium respondit, quod omnia, quæ ex parte Cohærentium Cardinalis dicebantur, quando etiam de iure subsisterent, & de quibus etiam nimium dubitari possent, sed superfluum est desuper immorari, percutiamus casum, in quo agerent creditores, qui fidem testatoris, ac facultatis contentæ in testamento sequuti essent, sed cessante ista consideratione, adeo ut contentio sit cum ipsometestatore gravato, seu eius hæredibus contententibus de detractione debiti iam soluti, perinde ac si esset debitum ipsius fideicommissitensis, iuxta ea, quæ habentur apud Buratt. dec. 509. cum aliis deductis disc. 15. & de Legitim. & Detraction. tunc casus videtur pro meo iudicio habere de indubitabili; Tum quia sufficiens esse dubium, ut propterea deferendum veniret observantia eius dubium, qui debitum extinxit, quasi veritatem, ac bonam fidem ita agnoscendo; Tum etiam quia dispositio iam effectum sortita est in emptione magni officii, quale est illud Clericatus Camera; ac propterea dupliciter intrat consumptio facultatis. Primò nempe ex vulgari regulæ text. in l. bona, §. hoc sermone. ff. de verb. signific. quæ testatorem in exorbitantibus, & dispensatis clarius intrat; Tum etiam quia literaliter testator loquutus est in numero singulari. Nil obstante consideratione deducta ex parte hæredum, quod cum testator respiceret certum finem, vel effectum consequendi Cardinalitiam dignitatem, ita verisimiliter in animo habuerit potius hæc duo majora officia Auditoris, & Theaurarii, tanquam magis proxima, quoniam ista videtur pia meditatio non apta prævalere tam verbis expressis, quam regulæ juris, dum etiam Clericatus est ianua proxima, & sufficiens ad eandem dignitatem assequendam, ut nostra ætate vidimus in Cardinalibus Gabriello, Rondanino, Costagaro, Dongho, Imperiali, & multis aliis; Et è converso vidimus in statu Prelaturæ Lomellini Theaurarium, aliaque plura consilia exempla, quæ inquiri possent.

Præterea considerabam, quod duæ adesse videbantur in contrarium nimium urgentes considerationes; Primò nempe quod testator in infinitum est non dixit, quod totum of-

ficiam ex ejus bonis emi deberet, sed quod possit pro arbitrio erogari pretium eorum bonorum distrahendorum; quod discretè, ac arbitrio boni viri intelligentium est pro aliqua competenti subventionem, ut habetur infra, quia nempe aliquam partem quoque erogaret ipsometestandus, ejusque pater juxta quotidianam praxim; Et secundo quis cum ipse esset nimium providus, atque honestè passimonis; notabile beneficium expertus esset jam in seipso, ubi etiam cogitasset, quod finis ab eo voluit obtineri non possent, nisi per hanc magis proximam scalam duorum officiorum majorum, juxta ea, quæ excusando hunc usum, ac respondendo iis, quæ de eo obloquuntur, à me deducuntur disc. 2. de Regal. adhuc tamen quoque cogitavit rectè obtineri posse cum cumulo, & multiplo excrementum fructuum, & emolumentorum Clericatus, ac etiam fructum proprie portionis bonorum paternorum, & avitorum, in eo medio spatio, quod decurreret inter obtentionem Clericatus, & illam unius ex his duobus officiis majoribus, ut praxis docuit in multis, qui ita istud majus onus supportarunt, cum indubitata esset excrementa fructuum tam Clericatus, quam patrimonialium.

Clarius verò, ac pro meo iudicio extra omne principium dubitandi ex duabus aliis considerationibus una juris, & altera facti. Juris nempe quoniam etiam quando per testatorem indefinitè conceditur hæredi gravata facultas alienandi, vel dispendendi, adhuc tamen intelligitur discretè, & arbitrio boni viri, ut aliquid remaneat pro fideicommissio saltem quarta pars ad text. in Auth. contra cum rogatus, quoties verba non sint nimium ampla, & effrænta, ex quibus inferri possit ad limitationem huius regulæ, ex iis, quæ habentur à me deducta supra disc. 59. ubi concordantes.

Et facti clarioris, quoniam testator duos casus consideraverit, unum nempe in quod officium nullatenus emeretur, & tunc ordinavit primogenituram in toto, alterum verò in quod emeretur, & tali casu præsupposuit remanere aliquem notabilem reliquatum, cuius fructus sufficerent pro Prelatu familiarit in futurum, eoque non extante ad favorem primogeniti, ut clarè probat lectura instrumenti presertim in verbis. *Invesso, & se non compræffo officio, il tutto &c.* ideoque conjungendo istud factum cum regulæ juris, ita videtur esse in claris; Ac etiam considerando, quod ad favorem aliorum fratrum contra primogenitum circa non inclusionem bonorum antiquorum fideicommissorum, proceditur cum aliquo rigore juris fore contra verisimilem, ac naturalem voluntatem testatoris, qui contravenire non possent, cum sint hæredes eorum patris legatarii, atque præceptum loquatur etiam de hæredibus; Ac propterea concludendum dixi, quod qualibet Partium ejus prætensionem concederet.

RECANTEN. DEROGATIONIS

FIDEICOMMISSI

P R O

P E T R O B U R A T T O

ejusque filiis.

C U M

Proprio Patre, ejusque Creditoribus.

Causa disputata coram Auditore Pape.

An, & quando derogatio fideicommissi pro dissolvendo ere alieno gravari possessoris concedenda, vel respectivè deneganda sit, ubi se opponant vocati ad fideicommissum.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 An interesse vocatorum sperantium successione sit considerabile ad impediendam gratiam derogationis.
- 3 Puella dotanda præferuntur creditoribus gravati possessoris.
- 4 De differentiâ inter interesse actuale, & presentaneum, & futurum sperantum.

D I S C. CCLXXIIL

Obtinuit N. possessor fideicommissi à Papa facultatem alienandi bona fideicommissaria, ut ex pretio satisfacere possit creditoribus, à quibus nimium urgebatur, non obstant, quod consensum non præstaret Petrus ejus filius, cui ac successoribus ad idem fideicommissum vocatis, consilium credebatur cum multiplo, juxta stylum demandato,

to, ac faciendo ex parte pretii bonorum distrahendorum, habitoque per dictum Petrum recursum ad eundem Papam pro dicta gratia revocatione, ne illi exequio daretur, atque remissis precibus pro stylo ejus Auditori ad effectum referendi, & providendi; Dicebam scribens pro Petro oppositor, etiam in sensu veritatis, quod quando iste alius non haberet interesse, nisi illud pererat successione, tunc ejus oppositio probabilium non deberet impedire effectum gratiæ concessæ Patri; Tum quia ejus jus, ac interesse non esset certum, sed eventuale, cum posset Patri premissi, ideoque casus successione ad ejus favorem non contingeret; Tum etiam, quia cum ita foveret causam lucrativam, malè gereret in concursu Patris, ita quodammodo fovens causam onerosam, ut se eximeret ab urgentis, & molestis creditorum, ex quibus etiam præsumpta voluntate fideicommissitensis, juxta ponderationes, de quibus disc. 74. & seq. de feud. occasione agendi de Bulla Baronum, potuissent cum non esset extraneus, sed filius, qui teneatur Patri subvenire, ac etiam pro eo se obligare, ac deducis apud Gregor. dec. 120. ad eub. species in gratitudinis esse illi se opponere.

Verum ob facti qualitatem, & circumstantias contrarium omnino verius dicebam ob interesse actuale, & presentaneum dicti filii ejus opponentis, cum haberet ultra tres filios masculos, qui alimentis indigebant, quatuor feminas omnes penè nobiles, unde oportebat ex eisdem bonis eis dotes constituere, & quarum potior erat causa, quam creditorum eorum Patris, dum ipsæ re integra se opponerent, dum ipsæ dicunt veniebant creditores fideicommissitensis, ideoque præferenda creditoribus gravati, ex iis, quæ examinando dec. 199. par. 8. recen. habentur disc. 82. de feud. occasione agendi de Bulla Baronum, quæ generaliter operatur illum effectum in Baronibus, quem in aliis privatis operantur huiusmodi particulares derogationes; Ideoque magna constituta videtur differentiâ inter illam oppositionem, vel illud interesse, quod constitueretur in substituto, veniente ex sola spe eventualis successione, & istud interesse actuale, & presentaneum, cui ex præsumpta mente fideicommissitensis promptius occurritur sit ad favorem innocentium, potius quam gravati, & possessoris, qui contrahendo ultra vires æs alienum, culposus, & commiseratione indignus diemeretur, atque ita credo sequutum esse.

N U L L I U S

Sive, &c.

S U P P R E S S I S N O M I N I B U S.

Responsum pro veritate.

An, & quæ expensæ per gravatum factæ pro recuperatione, vel conservatione bonorum fideicommissarie hæreditatis, detrahi debeant in restitutione fideicommissi; Vel quod pro eis liceat eidem gravato alienare aliqua ex eisdem bonis.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Quenam expensæ factæ per gravatum, vel feudatarium, & similes, detraherentur à bonorum proprietate.
- 3 Quod omnes prædicti dicantur legales administratores, & ad quæ veniantur.
- 4 Quales diligentie adhiberi debeant, & quando de neglectis veniantur.
- 5 Ad quas expensas teneatur Pater pro alimentis filii.

D I S C. CCLXIX.

Cum Testator in Cardinalitia dignitate constitutus, instituit hæredem nepote ex fratre, fideicommissum, perpetuum in istius dependente ordinasset; Eidem autem mandasset, ut usum aliquarum tabularum dictarum concederet, vel permitteret ipsius filio primogenito Testatoris cognito destinato Prelaturæ, istique convivens cum Patre in eadem domo, in dicto statu jam constitutus, dictarum tabularum, aliorumque mobilium more infimul viventium in eadem domo promiscuum usum haberet, atque absente Patre de tempore Sedis vacantis cum assistentia virorum presentium armata manu, aliquas tabulas pictas magni valoris pro ejus ere alieno dedisset ejus creditoribus, qui illas apportarunt ad domum ipsiusdem Magnatis prima classis adeo potentis, quod tam de illo tempore, quam etiam in futurum verisimiliter cum judiciali auctoritate recuperare

non possent, sive id sequi non valerent absque aliquo periculo personæ, vel existimationis; Hinc de consilio Sapientium, & proborum virorum, ne dictæ tabulæ amitterentur cum gravi jactura fideicommissarie hæreditatis, oportuitum judicavit illas redimere cum solutione dicti eris alieni importantis summam scutorum mille biscentum circiter, declaratione adjecta, quod illos solvebat animo recuperandi ab ipsa fideicommissaria hæreditate, atque hoc stare pro veritate queritur, an juridicè præfatus hæres dictam summam ita solutam ab eadem hæreditate repetere, seu detrahere valeat.

Item cum ad eisdem hæredis absentis, ut potè residentis in patria notitiam obvenerit, quod idem filius Prelatus curaret obtinere Pontificiam facultatem alienandi centum loca Montium fideicommissariorum, adeo coactus fuit transmittere ad eandem Urbem alterum ejus filium, ut assisteret, atque diligentias adhiberet ad id impediendum, pro ut de facto impeditur, idque importavit instam scutorum 400. circiter, ideoque pariter queritur, An istam summam ab hæreditate repetere valeat.

Ad utrumque affirmativè ad favorem hæredis respondentum esse censui, cum utriusque eadem congruat ratio, ut omnes illæ expensæ, quæ per possessorem fideicommissi, vel feudi, sive emphyteusis fiant pro recuperandis, vel redimendis, aut conservandis bonis fideicommissariis in proprietate, adeo ut expensæ non percutiant pertinentiam, vel fructus, ei refici debeant, tanquam melioramenta, ut in terminis specialibus hæredis gravati, vel ulterioris possessoris fideicommissarie hæreditatis, Peregr. de fideicommiss. art. 35. n. 10. Fufar. q. 670. n. 6. & seq. Buratt. dec. 509. ubi Ad. atque advertitur supra disc. 163. n. 4. Quamvis enim alii teneant istas expensas computari cum fructibus, Atamen Curia Romana non recipit hanc opinionem, ut eod. disc. 163. & latius disc. 35. de legiti. & detrahit.

Et in feudatario, vel emphyteuta advertitur disc. 57. num. 13. & disc. 76. n. 9. & 10. de feud. disc. 12. n. 13. & 14. de emphy. ubi concordantes.

Omnes etenim prædicti dicuntur legales administratores, ut de hærede advertitur disc. 36. n. 15. & 22. de credito. Ac propterea quicquid administrator utiliter, ac prudenter impendit de suo pro recuperatione, vel consequatione bonorum administratorum debet ei refici, quoniam iussit eum in bona fide versari, atque dolo, vel lata culpa positiva carere, etiam ad effectum præjudicandi successoribus jure suo, ac independenter venientibus ex iis, quæ occasione transactionis habentur supra disc. 172. cum multis seq. & disc. 49. de feud. & alibi pluries.

Neque obstat potest, quod heres tenebatur adhibere diligentias cum via judiciali; Tum quia imputari non potest, cur adhibita non sint illa diligentia, quas moraliiter certum sit non fuisse profuturas, qualis videbatur casus; Tum etiam, quia lex non obligat hunc administratorem ad illas exactissimas, & exquisitas diligentias, ob quas ejus vitam, vel honorem alicui periculo exponeret.

Si etenim habemus, quod non teneatur hæres gravatus de nominibus debitorum inexactis, quoties negligentia non sit talis, ut dolum, vel culpam latam redoleat, ex insinuatibus supra disc. 192. n. 3. multò minus dicendum est teneri debere de proprio ad id, quod est magis in commodum, & periculosum.

Prout neque obstat dicebam circa secundum questionem, quod nempe filius transmissus ad Urbem debuisset percipere alimenta in domo paterna, quoniam in hoc habenda est solum ratio de eo, quod Pater fuisse propriæ domi, & in propria mensa impensurus, ut cæteris relatis haberet deductum sub tit. de credit. disc. 86. n. 3. & seq. idq. est quid minimum.

Advertebam item posse obijci, quod tenebatur, sive nunc teneatur hæres recuperare dictam summam ab ejus filio, qui revera fuit destructor bonorum, quæ redimere oportuit; Sed quoniam notoria erat insufficientia filii, qui ob dignitatem, quam obtinebat, non poterat carcerari, vel nergeri, cum gauderet privilegio, ne conveniatur ultra quam, &c. ita cessabat difficultas, solumque dixi, quod debet hæres illum facere declarare debitorem reintegrandis, ut quatenus ad pinguem pervenerit fortunam, ita fideicommissum reintegrari valeat.

Post datum responsum modo, quo supra, super notitia data suppressis nominibus, istorum habui notitiam, ob quam magis in eadem sententia perstiti cum ob personarum, & loci qualitatem, aliaque circumstantias, quæ huiusmodi questionum facti potius, quam juris regularitates esse debent, hæres gravatus absque dubio excusabilis censendus esset, quodque prudenter egerit, atque negotium utile pro fideicommissio gesserit; Adhuc tamen abstinui ea-